This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ital
7140
22

Itab 7140.22

Harvard College Library

FROM THE BEQUEST OF

JAMES WALKER, D.D., LL.D.,

(Class of 1814),

FORMER PRESIDENT OF HARVARD COLLEGE;

"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences."

18 March, 1898.

DE

# PETRARCHA PHILOSOPHO

THESIM HANC

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DISCEPTANDAM PROPOSUIT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

F. BONIFAS

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS

BACCALAUREUS IN THEOLOGIA

---

PARISIIS

APUD AUGUSTE DURAND, BIBLIOPOLAM

IN VIA DICTA RUE DES GRÈS, 7

MDCCCLXIII

Ital 7140.22

MAR 18 1898
LIBRARY.

ORNATISSIMO VIRO

G. GUIZOT,

DILECTISSIMO AMICO

E. PEYRE,

HANC OPELLAM

D. D. D.

F. BONIFAS.

# PROŒMIUM

Inter egregios viros qui resurgentium in Italia litterarum decus ac lumina fuere, nemo Petrarcha clarior, aut qui magis de patria simul ac de posteris sit meritus. Felicissimo enim præditus ingenio mirisque modis ad res diversissimas apto, unus multorum hominum, ut ita dicam, personam sustinuit, ut qui, quum omni laude dignus poeta esset, orator idem egregius indefessusque veterum rerum indagator, publicus vir multis ac magnis immersus rebus, philosophusque præterea minime quidem contemnendus evasisse videatur.

Tantam materiem sumere et quantum in harum quaque artium Petrarcha valuerit disquirere, ut viribus quidem impar labor, ita inutile magna ex parte ac supervacaneum opus, velut si quis id iterum tentare velit quod melius alii jam effecerint. Neque igitur ego quot quantæque apud Petrarcham exstiterint poetici ingenii dotes dicturus huc prodeo, serus et obscurus decantatæ famæ admirator, neque, si dicerem, ornamentum ullum hæc nostra, quantacunque

est, admiratio tanto viro conferre posset. Minorem materiem sumam, et quæ de philosophia instituendisque moribus Petrarcha scripserit exponere aggrediar. Quæ quidem paucis nota sunt, et a paucioribus leguntur; nempe quo plus honoris poetæ, eo minus philosopho laudis est, et quod certe in alio miraremur id in Petrarcha negligimus. Id ipsum igitur, quoniam immerito neglectum mihi videtur, in lucem proferre vellem. Quum vero quid philosophicum Petrarcha babuerit quæri nullo modo potest nisi in ea quæ ad poeticam, ad eruditionem et rempublicam attinent incidamus, pauca primum de illis dicenda erunt, quo facilius destinatum a nobis propositum aggrediamur.

## CAPUT PRIMUM

—

### DE PETRARCHA, QUÆ AD POETICAM, ERUDITIONEM ET REMPUBLICAM ATTINENT.

Hoc Petrarchæ contigit ut summum italicæ poesis imperium cum Dante dividuum habeat. Hos enim Italia unanima et vix non æquali veneratione prosequitur, hos musarum suarum patronos habet ac parentes, quæ somno atque inertia diu sepultæ primum Dante et Petrarcha ducibus resurrexerunt. Dives illa et nativa felicis ingenii vena quæ vere poetam probare haud immerito dicitur, statim a teneris Petrarchæ intus innotuit, neque se his studiis diu implicari passus est quæ fervidiores Musarum alumni nunc etiam sibi officere queruntur. Jus primum, jubente patre, didicerat; mox vero scholæ barbariem et iniquas legum perosus ambiguitates, se litteris toto animo, toto juvenilis animi impetu dedit. M. Tullium imprimis et P. Maronem habebat in deliciis, eorumque codicibus, quotquot reperiri potuerant, die noctuque incumbebat. Quod quum pater ægre tulisset, utpote qui plus famæ aut lucri crederet filio esse defluxurum si mentem ad jus potius quam ad musas

appellere cogeretur, quumque deprehensos olim in manibus adolescentis codices iratus in ignem intulisset, adeo perdite Petrarcha in lacrimas effusus est, ut commotus simul exterritusque pater Virgilianas Tullianasque chartas jam semiustas filio restituerit. His Petrarcha tum eloquii tum poesis magistris plurimum debuit; assiduo horum commercio et quotidiana quasi amicitia usus, latinæ linguæ latinarumque musarum in pristinum decus revocandarum hos auspices habuit. Virgilii scilicet vestigia secutus nonnullas eclogas scripsit; quin et epicos honores, viribus jam magis, ne dicam nimis, confisus, ambire cœpit, et magnum de P. C. Scipionis Africani laudibus poema componere aggressus est, cui nomen indidit *Africæ*. Quod quidem opus, quod vix unus aut alter nostrum ex integro legere hodie valeat, tunc docti homines et resurgentis antiquitatis amore capti pro novo quodam rerum miraculo habuere, atque ipse eis visus est Petrarcha Virgilio haud inique æmulari et jam dignum exstitisse qui poetica laurea et inclytissimo triumphi honore ornaretur. Grande profecto et post longam annorum seriem inauditum spectaculum, quum intra Romæ mœnia tot adtantis præteritæ gloriæ monumentis insignia, magna senatorum ac principum comitante pompa, cum ingenti populi plaudentis concursu, laurea corona donatus fuit. Quod si non hic adfuerunt, ut in majorum triumphis, capti et vinculis obstricti reges qui post currum ovantis demisso ore incederent, neque ullæ hostium exuviæ, nulla spolia in Capitolium cum Petrarcha vehi potuerunt, confossam tamen multis, ut ita dicam, vul-

neribus Scholasticam trahebat victor, et eximios recuperatæ antiquitatis thesauros præ se ferebat.

Nobis vero (fatemur enim) longo certe intervallo nec satis æquis passibus Virgilium ducem Petrarcha sequi videtur, et si ejus *Eclogæ* aut *Africa* illius *Bucolicis Æneidive* conferri debeant, hæc recentioris hominis poemata, quamvis nonnulli versus hic occurrant elegantia et expolitione distincti, rudia tamen in omni summa ac pæne barbara habebuntur. Sin autem istis tantum carminibus conferantur quæ paulo ante sub claustrorum umbra latine scribi solebant (si quidem ista latine scripta fuisse concedamus), tunc demum intelligere poterimus qui fiat ut omnium Petrarcha protinus occupaverit admirationem; is enim latinis litteris tunc offusus erat squalor, ut Petrarcha tanquam redivivum antiquitatis sidus effulgere haud immerito creditus sit.

Nihil est igitur cur miremur posteros non eisdem laudibus latina illa poemata prosecutos esse, quibus in sæculo XIV accepta fuerant. Perenniorem vero gloriam neque unquam, ut arbitror, perituram his Petrarcha carminibus adeptus est, quæ vulgari lingua scripsit. Italicos Petrarchæ versus quis non novit aut non miratur? Quis negat Lauram ei quasi Musam fuisse, cujus amore castissime incensus maximus in parvulis poematibus poeta evasit, quibus nihil apud Italos exquisitius aut dulcius, nihil acumine sententiarum aut elegantia verborum aut rhythmi numero distinctius reperiri potest? Dantes quidem, primus italicæ linguæ auctor ac patronus, rudi adhuc et aspero eloquio usus erat; sermonem Petrarcha ductilem

ac velut liquidum effecit, omnibusque dicendi generibus mirum in modum accommodavit. Hæc immota manet Petrarchæ gloria, quæ nunquam, nisi deficiente italica lingua, deficiet.

Quin imo non minorem a patria vel a posteris Petrarcha gratiam iniit, expromptis in medium antiquitatis opibus. Summam enim curam impendebat ut antiquos codices pulvere diu et silentio obrutos et in monachorum penetralibus tanquam sepultos undique colligeret et rursus proferret in lucem. At ipse potius audiatur, Gerardum fratrem in epistola alloquens : « Libris, inquit, satiari nequeo; hæc una inexplebilis cupiditas me tenet, quam frenare hactenus nec potui certe nec volui. Sicut in cæteris rebus sic in libris accidit : quærendi successus calcar avaritiæ est... Libri viva quadam atque arguta familiaritate junguntur; neque solum sese lectoribus quisque insinuat, sed et aliorum nomen ingerit, et alter alterius desiderium facit. Tu vero, si tibi carus sum, aliquibus fidis et litteratis viris hanc curam imposito, Etruriam perquirant, religiosorum armaria evolvant cæterorumque studiosorum hominum, si quid usquam emergeret leniendæ dicam an irritandæ siti meæ idoneum. Scito me easdem preces amicis aliis in Britanniam Galliasque et Hispanias destinasse » (1). Alias autem : « Abeuntibus, inquit, amicis, et, ut fit, petentibus num quid e patria sua vellem, respondebam nihil præter libros Ciceronis. Et quoties preces, quoties pecuniam misi non per Italiam modo sed per Galliam et

(1) *Epist. famil.*, lib. III, ep. XVIII, p. 620. Ed. Basil., an. 1581.

Germaniam et usque ad Hispaniam atque Britanniam; et in Græciam misi, et unde Ciceronem expectabam habui Homerum, quique græcus ad me venit mea ope atque impensa factus est latinus, et nunc inter latinos volens mecum habitat » (1).

His quidem et multis aliis *Epistolarum* locis satis apparet quanto ardore animi veterum scriptorum reliquias assidue noster indagaverit. Nulli eum labores, nulla longorum itinerum tædia, nulla quæ tunc in itineribus occurrere poterant pericula (modo qua vixerit Petrarcha ætate consideres) eum deterrere valuerunt quin regiones multas reperiendorum et colligendorum codicum causa perlustraret. Livii quidem *Decades* Varronisque libros multa cura, multa impensa frustra quæsivit. Quintiliani vero *Institutionem oratoriam*, etsi non integram, nonnullas quoque Ciceronis orationes et scriptarum ad familiares epistolarum libros aliquot se invenisse iisdemque inventis mira lætitia exsultasse refert; aliorum quoque studium excitat et amicos crebrius hortatur ut, ipsius vestigia et exempla secuti, monumenta antiquitatis disquirere ac restaurare velint.

His nempe artibus plurimum effecit ne diutius situ ac squalore obruta jacerent quæ adhuc antiquæ sapientiæ aut eloquentiæ rudera passim latitabant (2),

(1) *Epist. senil.*, lib. XV, ep. I, p. 948.

(2) Haud æquo Petrarcha animo ignaros veterum litterarum homines neglectamque antiquitatem ferebat, ut qui sæpius talia increparet : « Credo jam mundi finem instare, » inquit (quemdam scilicet allocutus amicum, qui cujusvis opificis de arte sua librum pluris quam Ciceronis opera facere se fatebatur); « crebrescunt ecce prodigia. O vertigo mirabilis studiorum! Neglectis ergo principibus eloquii, spretis philosophiæ præceptoribus, contemptis demum veræ fidei ducibus, vilis opifex in

neque hæc ita colligebat ut qui nihil nisi librorum raritatem diligunt atque admirantur, eosque adeo sacros habent, inerti prorsus et inepta religione, ut ne unum quidem unquam tangant. Petrarchæ contra visum est non ideo libros a neglectu aut exitio redimere, ut in interiore quodam domus loco, tanquam in meliore sepulcro compositi, rursus obdormiscerent, verum ut his quotidie, velut vivis adhuc et jam non perituris amicis, uteretur; Livium itaque et Senecam, et Ciceronem, et Quintilianum, et summos qui Romæ claruerunt poetas in manibus semper habebat, secum meditabatur, memoriæ quasi intus descriptos mandabat, eorumque singulas hinc inde sententias, ut inserendos propriis hortulis flosculos, decerpebat assidue. Nobis enim quemlibet Petrarchæ librum evolventibus plurima protinus deprehendere licebit quæ ex veterum libris, ut pulchra ac jucunda, sic ad antiquitatis studium excitandum atque fovendum idonea, mutuatus est; unde etiam apparet quantum in hoc optimorum virorum contubernio ipse profecerit. — Petrarcham enim, pro temporibus illis, historiæ mire doctum fuisse constat; quippe qui illustrium virorum facta dictaque accuratius memoret, veterumque regum nomina ac priscorum philosophorum scripta, quæ tunc a plerisque vitiose laudabantur, certioribus innixus documentis, rectius recitare et describere sit solitus. Quin imo romanarum rerum

manibus est. » (*Senil.*, lib. VI, ep. v, p. 809.) « O ætas ingloria! tune antiquitatem matrem tuam, honestarum omnium artium repertricem spernis? Teque illi non æquare tantum sed præferre audes! Scito, amice, acri stomacho hæc iratum loqui. » (*Senil.*, lib. V, ep. III, p. 795.)

historiam ipse scribere statuerat, quod opus inceptum si persolvere quidem non potuit, at incepisse tamen magnum fuit, et novam tutioremque viam priscarum rerum scriptoribus aperuit.

Verum enim vero noster ille musarum cultor assiduus, et insatiabilis priscarum rerum indagator, non umbratilem omnino degit vitam, et summis temporum suorum negotiis simul atque omni studiorum generi interfuit, solaque ingenii ac morum auctoritate apud reges liberasque civitates plurimum valuit. Inclytissimas regum principumque virorum sibi conciliavit amicitias; honores vero ac divitias respuere maluit quam his quasi vinculis implicari, nec liberrima otia aut illam qua solus secum fruebatur quietem speciosa servitute mutare voluit: unde auctoritas eo major ei fuit quod in ipso non in alienis adminiculis, sita atque collocata erat. Sua gloria vivus, quod perraro claris viris contingit, fruitus est, neque invidia efficere potuit ut tanti nominis decus minueretur. Non nobis in animo est enumerare quot et quantis rebus interfuerit, qui reges aut quæ civitates multa ejus consiliis fecerint, eoque tanquam legato et quasi patrono usi fuerint.

Non enim quid vir publicus effecerit, sed qui fuerit civis ad nostrum propositum attinet. Ingenti quidem patriæ amore fervidus, Italiam orbis terrarum delicias atque artium virtutisque magistram jactabat, et quum exsulare sæpius duritie temporum cogeretur, Italiæ revisendæ cupidine laborans, patriam carminibus celebrando animi luctum solabatur.

His autem temporibus, Italia, multis ac magnis agitata malis, pristinæ gloriæ fastigio lapsa jacebat;

pleræque liberæ olim civitates paucorum in jus atque ditionem venerant; suus cuique tyrannus erat qui civibus gravioris servitutis onus imponeret; domi discordiis tumultuque, foris mutuis perpetuisque bellis omnia miscebantur : inde, superiori præsertim in Italiæ parte, nusquam securi cives, nulla legum auctoritas, nulla quies, nullum libertatis pacisque præsidium.

Romæ interea populares tumultus optimatumque (hinc Columnensium, illinc Ursinorum) jurgia rempublicam quotidie miscebant. Vacua quidem sanctissima Petri sedes, summusque pontifex Avinione velut in exsilio detinebatur, dum Germaniæ imperatori rebus italicis abstinere in animo erat. Roma igitur a pontifice simul et ab imperatore neglecta, velut navis gubernatore et clavo carens omnibusque ventorum ac fluctuum procellis ludibrium data, diris populi principumque simultatibus obnoxia præda jacebat. Neque Petrarcha qui, ut universæ Italiæ ita Romæ præsertim amore fervebat, hanc desperatam romanæ fortunæ vicem æquo animo ferre valuit. Illi nempe, utpote veteribus in historiis versatissimo, et pristinum Romæ decus, et hodiernæ miseriæ ante oculos sæpius occurrebant, crebrisque angebatur animus stimulis quum urbem olim Italiæ simul et orbis caput regumque ac populorum magistram et dominatricem, nunc ingloriam, viduam, civilibusque discordiis profligatam ac quasi obrutam videret.

Nihil igitur intentatum reliquit ut tot tantisque malis certa remedia adhiberentur, summasque curas impendit ut pacata demum et unum coalita in corpus resurgere Italia et in pristinum decus revocari posset.

Neque quidem prius res italicas prospere cessuras ratus quam Romam romanus pontifex reversus esset, crebras Benedicto, Clementi et Urbano vicissim epistolas misit, et assiduis quemque lacessivit precibus ut diu neglectam repeterent Romam. Vehementer interea Carolum Germaniæ imperatorem per litteras hortabatur ut Italiam cum exercitu ingressus Romam peteret, atque, quum majorum de more coronatus esset, imperii potiretur. Hunc enim Italiæ spem, hunc populi romani præsidium vocat. « Experrecta, inquit, jam nunc est (Roma); non dormit, sed silet, et somnia præteriti temporis sub silentio repetit, et quid surgens actura sit cogitat. Expedit orbi terrarum urbem Romam et Italiam esse unanimes et pacificas. Cœlicolas oro ut in statu prospero diu vivas, et rempublicam fortiter liberatam feliciter regas » (1).

Neque autem pontifex neque imperator romanis rebus satis consulebant, neque, si consuluissent, ad rempublicam capessendam pacandamque Italiam satis valuissent. Noster vero meliorem de populo romano spem habuit. Romæ enim, vir plebeius quidam, Nicolaus Rienzi nomine, ignobili loco natus, sed audaci firmoque præditus ingenio, facundia etiam præstans et aliquid romanarum historiarum odoratus, popularem tumultum concierat, pristinoque reipublicæ statu restituto, ipse tribunus plebis erat factus, senatum antiquo de more creaverat, romanumque imperium, nescio qua insana spe quove studio incensus, ex integro instaurare moliebatur. Quibus quidem

(1) *Epist. sine titulo liber*, ep. II et III, p. 713.

auditis noster exsultare, tribuno per litteras vehementer gratulari, idque unum eum monitum velle ut recuperata libertate bene ac moderate uteretur (1). Quin imo, quum optimates nonnullos, inter quos duo Columnenses erant, necatos in tumultu audivisset: « Nulla toto orbe, inquit, principum familia carior; carior tamen respublica, carior Roma, carior Italia » (2).

Quum vero Roma Rienzi expulsus reusque Avinionem ductus neminem patronum haberet, defensoris partes noster suscepit, populumque romanum per litteras hortatus est ut omnibus viis auxiliisque tribuno suo opitularentur (3).

Ideo vero, ut aiunt, Rienzi absolutus est quod ipse poeta erat, nempe nefas judicibus visum est virum morte damnari qui Musarum esset alumnus. Ex quo (si pro certo quidem habendum sit) facile intelligi potest, quantum temporibus illis litteræ musæque valuerint, ut quas si quis coluisset is velut sacrosanctus ac pæne divinus haberetur.

Haud indignum quidem operæ pretium esset quid de rebus italicis Petrarcha censuerit accuratius quærere, præteritasque temporum vices conferre cum hodiernis. Quod vero, ut a proposito nostro alienum, ita periculosum opus, nobisque minime aggrediendum, nisi velimus incedere

... per ignes
Suppositos cineri doloso.

(1) *De capessenda libertate*, p. 535.
(2) *De Sades*, vol. II, p. 411.
(3) *Epist. sine titulo liber*, ep. IV, p. 742.

Tutius igitur silebimus; hoc tamen unum nobis liceat mirari quantum Petrarcha hodiernis illis consentire videatur viris qui Romam summi pontificis sedem et Italiæ simul universæ caput destinari velint. Quippe, quum hinc pontificem hortatur ut Romam redeat, illinc imperatorem ut urbe imperioque potiatur, quid aliud voluisse existimandus est nisi Romam Ecclesiæ simul et Italiæ caput fieri? Nonne, obscurius quidem, sed pro temporibus illis satis conspicue, Romam quasi quodam fato et rerum quadam necessitate summi pontificis sedem et universæ caput Italiæ fixam atque destinatam intellexisse videtur? Absit ut aliis temporibus hodiernas opiniones sententiasque tribuere velim; at quis negare potest sæpe easdem rerum necessitates per varias ætatum vices occurrere, et sibi constans ac perpetuum aliquid inesse rebus humanis quod diversitas temporum funditus abolere nequeat?

Ab alienis vero ac parum licitis ad Petrarcham redeamus. Satis quidem, ut arbitror, de eo dictum est ut facile intelligatur eum omnibus magnis suorum temporum negotiis interfuisse, et in se uno turbatissimæ illius ætatis imaginem velut in speculo expressisse. Nobis vero quid fuerit Petrarchæ ingenium et quas publicus privatusve susceperit partes haud nesciis, quantum ipse in philosophia valuerit quærere erit facilius.

## CAPUT SECUNDUM

—

### PETRARCHÆ OPERA PHILOSOPHICA

Quamvis Petrarcha, ut jam supra diximus, adeo non otiosam gesserit personam ut longis contra itineribus et rerum publicarum administrationi sæpe implicatus fuerit, majorem tamen vitæ partem in silentio ac solitudine, tum apud Sorgiæ fontem, tum apud Parmam (1), in se quasi revolutus et contractus, libris legendis scribendisve, meditationi ac philosophiæ studio impendit. Nempe, si ipsi credendum est, ad philosophiam natus erat, utpote qui ingenio fuerit « ad omne bonum et salubre studium apto, sed ad moralem præcipue philosophiam et ad poeticam prono » (2). Ideoque italicis minus carminibus quam latinis operibus philosophicisque libris immortalem nomini suo memoriam se acquirere posse confidebat. « Invitus, fateor, ait, hac ætate vulgari ineptias meas cerno, quas omnibus, mihi quoque, si liceat,

(1) Hi enim potissimi fuerunt loci ubi noster procul ab urbano strepitu civilibusque procellis se recuperare solitus est; quos geminum tanquam Parnassum sibi esse dicebat, *Transalpinum* quidem Clusiæ vallem, *Cisalpinum* vero Parmensem villam.

(2) *Epist. posteritati.*

ignotas velim. Sed quid possum? Omnia jam in vulgus effusa sunt, legunturque libentius quam quæ serio postmodum validioribus animis scripsi. Vulgus habet et lacerat » (1).

Quibus verbis, multisque aliis quæ passim in epistolis occurrunt, satis apparet quanto pluris quos de philosophia latine scripserat libros quam vulgaria carmina faceret. Hinc nihil nisi ineptias ac nænia, juvenilibus tantum annis ignoscenda, videre sibi videbatur, illinc veram viridemque sapientiam maturis ingenii viribus digniorem, quæque scriptori famam, legentium animis virtutem expedire posset. Quantum vero eventus Petrarchæ præsumptionem fefellerit, vix operæ pretium est vel paucissimis verbis memorare. Illas enim ineptias quisquis hodie aliquam litterarum notitiam habet, non apud Italos tantum, sed in orbe terrarum universo, novit et recitat, dum ponderosum hoc latinorum philosophicorumve scriptorum volumen in pulvere ac tenebris intactum jacet, nomine summi poetæ adversus oblivionem non satis defensum; adeo egregii viri de se ipsis interdum falluntur, et se iniquos suarum rerum judices, cæcosque proprii ingenii æstimatores fuisse demonstrant!

Hæc vero quæ modo retuli Petrarchæ verba non equidem pro vera poetæ de se ipso sententia habenda esse arbitror; neque ille sui adeo inscius erat ut carmina vulgari sermone a se scripta tam superbis animis semper despiceret. Has præterea musas, quibus junior operam navaverat, easdem senior quoque co-

(1) *Senil.*, lib. XIII, ep. x. Cf. *ibid.*, lib. V, ep. III; lib. XIV, ep. XI.

luit earumque familiaritate semper delectatus est. Verum homo fuit suorum temporum, nimisque scholasticis adhuc implicatus disciplinis, et majore veteris Romæ amore fervens quam ut latinam linguam cæteris non anteponendam fateretur, aut theologicas philosophicasve artes in summum locum non extolleret; ideoque, nisi quid in illis tentavisset, se gloriam revera adeptum non arbitrabatur.

Nec tamen illi, quos plerique posterorum neglexerunt, libri indigni sunt qui etiam nunc legantur, ac si quem immensi voluminis tædium et sermonis barbariem adhuc redolentis salebræ et asperitates non terreant, ei multa laudanda, imo vere philosopho digna et ad philosophiæ historiam recte cognoscendam perutilia occurrent.

Nunc vero opera illa, quæ sint, breviter exponere aggrediar.

## I. — *De contemptu mundi.*

Tres, qui *De contemptu mundi* inscribuntur, libros Petrarcha primum scripsisse videtur; eoque pluris æstimandi sunt quo majorem in lucem ejus vitam secretamque mentem proferant. Nempe ætate jam provectior, at juvenilium adhuc voluptatum vinculis implicatus crebrisque amoris stimulis exagitatus, in tacitum Clusiæ recessum se receperat, ut turbati fervor animi, si non omnino exstingui posset, silentio tamen ac solitudinis pace paulum temperaretur. Tunc noster humanarum rerum fragilitatem et falsas voluptatum illecebras mortemque instantem

secum cogitare cœpit; suum tunc vivendi morem corrigere; et, neglectis inanibus curis, totum se sacris litteris ac philosophiæ præceptis dicare statuit, ut sobrie pieque reliquum ætatis spatium degeret. Hoc vero corrigendorum morum propositum, ne forte memoria dilaberetur, chartis mandare voluit, quo facilius firmum animi consilium quotidie fixum ante oculos et quasi expressum haberet.

Morem itaque secutus qui et apud poetas semper valuit, et in omni scriptorum genere apud Petrarchæ æquales valebat, cogitationes suas in humanam vivamque informavit effigiem, quam sibi apparuisse simulavit, « mulierem scilicet inenarrabilis claritatis et luminis formaque non satis ab hominibus intellecta » (1). Huic quidem, cui Veritas nomen est, comes adest Augustinus, quem ipsa orat ut cum Petrarcha colloquatur, gravissimoque ægrotanti morbo certissima, ut medicus eumdem expertus laborem, remedia adhibeat. « Quidquid ex te audiet, inquit Veritas, ex me dictum putet » (2). Sermoque longior obortus in diem tertium productus est : inde tres, de quibus nunc agitur, dialogi, quos non ut plurium in manus vulgarentur, sed proprium privatumque in usum scriptos, *secretum* suum vocavit : « Tuque, libelle, ait conventus hominum fugiens, mecum mansisse contentus eris, nominis proprii non immemor : secretum enim meum es et diceris » (3). M. Tullii Platonisque vestigiis haud infeliciter hærens,

(1) *De contemptu mundi.* Præfatio, p. 331.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*

non hos tantum sed plerosque etiam de philosophia libros sic instituit ut omnia per colloquentium disputationes fierent ac quasi res ageretur potius quam narraretur. « Hunc scribendi morem, ait, a meo Cicerone didici; hunc ipse prius a Platone didicerat » (1).

Neminem nisi sua culpa proprioque arbitrio peccare ac miserum esse contendit Augustinus; at Petrarcha sua sponte quidem se prolapsum, assurgere vero volentem non posse profitetur. « Tu testis es mihi, inquit, quoties volui, nec potui, quot lacrimas fudi, nec profuerunt. » — « Lacrimarum, Augustinus ait, tibi testis sum multarum, voluntatis vero minimæ. » Nihil præterea ad animum voluptatum eripiendum vinculis efficacius, quam « meditationem mortis assiduam » existimandum esse opinatur. — « Quidquid video, noster ait, quidquid audio, quidquid sentio, quidquid cogito ad hanc unam cogitationem refero. Quid ergo me retinet ? » — « Corporei passiones, inquit magister, te detinent ; hinc est quod quoties ad hanc cogitationem mortis animus accessit, stare ibi non valens, turba curarum variarum pellente, resiliat. Hinc illa intestina discordia, dum horret anima sordes suas, nec diluit, vias tortuosas agnoscit, nec deserit, impendensque periculum metuit, nec declinat. » — « Heu mihi misero ! exclamat Petrarcha, nunc profunde manum in vulnus adegisti » (2).

(1) *De contemptu mundi.* Præfatio, p. 331.
(2) *Ibid.*, dial. I, p. 340.

Hoc igitur vulnus firma rigidaque manu tentat et explorat magister, variosque animi morbos quibus discipulum laborantem videt longo ex ordine enumerat : superbiam primum et avaritiam, cupiditatem præterea et ambitionem, luxuriam denique et illam, quam *accidiam* vocat, animi ægritudinem. Noster quidem suam agere causam variasque excusationes præ se ferre conatur, instantius vero urgente censore, mira quadam reverentia ad humilem culpæ confessionem adducitur (1).

At nondum tamen profundiores vulneris partes tetigit medicus. « Duabus adhuc, ait adamantinis premeris catenis : amore et gloria » (2). Discipulus vero ne magistrum quidem importuna temerare manu penetralia illa sinit quæ « serenissimam animi sui partem » esse profitetur. Quippe, quum Augustinus amorem tanquam « omnium extremam infamiam » vituperat, « amorem vel deterrimam vel nobilissimam rerum dici posse » refert : « Si infamem, inquit, turpemque ardeo mulierem, insanissimus ardor est; si specimen aliquod virtutis allicit, vix quidquid reor esse felicius. Mulierem ardeo cujus mens terrenarum nescia curarum cœlestibus desideriis ardet, in cujus aspectu divini species decoris effulget, cujus mores consummatæ honestatis exemplar sunt, cujus nec vox nec oculorum vigor mortale aliquid nec incessus hominum repræsentat... In amore meo nil unquam turpe, nil obscœnum fuit... Non sileo me quantulumcunque

(1) *De contemptu mundi,* dial. II, p. 340 et sq.
(2) *Ibid.*, dial. III, p. 352.

conspicis per illam esse, nec unquam ad hoc, si quid est, nominis aut gloriæ fuisse venturum, nisi virtutum tenuissimam sementem quam pectore in hoc natura locaverat nobilissimis his affectibus coluisset. Illa juvenilem animum ab omni turpitudine revocavit, atque alta compulit spectare; illa me a vulgi consortio segregavit, torpenti ingenio calcar admovit, ac semisopitum animum excitavit » (1). Non vero his commovetur incorruptus rigidissimusque judex : « Ab amore cœlestium, inquit, elongavit illa animum, et a Creatore ad creaturam desiderium inclinavit » (2). Quibus quidem victus argumentis, culpamque ultro confessus, se totum Deo colendo amandoque deditum Petrarcha pollicetur.

De gloria tandem magister refert; Petrarcha vero se poeticam lauream, populi laudes, principumque amicitias, et immortale sui nominis decus summis curis studiisque ambiisse fatetur, quæ quidem omnia vana et inania facillime demonstrat Augustinus. « Quid faciam igitur, noster ait; laboresne meos interruptos deseram? » — « Abjice ingentes historiarum sarcinas : satis romanæ res gestæ et suapte fama et aliorum ingeniis illustratæ sunt. Dimitte Africam, eamque possessoribus suis linque; nec Scipioni tuo nec tibi gloriam cumulabis : ille altius nequit extolli,

(1) *De contemptu mundi,* dial. III, p. 355. Cf. Canz. VIII :

... S'alcun bel frutto
Nasce di me, da voi vien prima il seme.
Io per me son quasi un terreno asciutto
Colta da voi; e'l pregio è vostro in tutto.

(2) *De contemptu mundi,* dial. III, p. 355.

tu post eum obliquo calle niteris... His igitur posthabitis, te tandem tibi restitue » (1). — Tum demum, detersis oculis discussisque ante ora nubibus, justissimas magistro agit discipulus gratias, severioremque vivendi morem sequi ac sacris litteris piisque meditationibus operam navare statuit.

Nunc quidem, ut arbitror, facile intelligi potest quantum ad Petrarchæ mentem moresque certius ac melius cognoscendum tres illi dialogi valeant : hic enim nostros ante oculos secretiores animi ejus partes apertæ ac quasi nudæ apparent. Augustini vestigia secutus, quem inter Ecclesiæ Patres longe carissimum habuit (2), mira quadam animi simplicitate juveniles errores confitetur, et non fictas effundit lacrimas, minime quidem illis nostrorum temporum viris similis, qui, incredibili quadam superbia tumentes, flagitiis probrisque suis ante omnium oculos, sub falsa confessionis specie, audacissime gloriantur.

Multa præterea, eademque certissima, quum de poetæ amoribus, tum ipsa de Laura his in libris deprehenduntur; quos si quis legerit, is, ut opinor, fatebitur Lauram mulierem fuisse, forma simul et ingenio

(1) *De contemptu mundi,* dial. III, p. 369.

(2) Assidua hujus familiaritate utebatur, eumque ducem ac patronum habere gaudebat : « Quoties confessionum tuarum libros lego, » inquit, Augustinum ipse alloquens, « legere me arbitror non alienam sed propriæ meæ peregrinationis historiam. » (*De cont. mundi,* dial. I, p. 335.) Rursusque de eodem libro Donato amico scribens : « Hunc librum, ait, intento devotoque animo legere si in consuetudinem deduxeris, spero te piis atque salutaribus lacrimis nunquam cariturum... Is liber me mutavit eatenus, non dico ut vitia prima dimitterem (quæ vel hac utinam ætate dimiserim !) sed ut ex illo sacras litteras nec spernerem nec odissem, imo vero me paulatim horror ille mulceret et invitas aures recusantesque oculos ad se traheret. » (*Senil.*, lib. VIII, ep. VI, p. 339, 340.)

præstantem, non vero fictum aliquid, ut quidam voluerunt, et inane versibus inscribendum nomen.

## II. — *De remediis utriusque fortunæ.*

Duos sub hoc titulo libros quando Petrarcha scripserit incertum; satis tamen conspicuum videtur eos scriptos ante diem obitus Azzonis da Correggio fuisse, quippe quos huic ipsi viro per litteras Petrarcha dicaverit. Azzo quidem anno MCCCLXIV mortuus est. Aliunde vero in epistola quadam ad Magnæ Carthusiæ Præsidem hæc verba deprehenduntur : « Est mihi liber in manibus de remediis ad utramque fortunam in quo pro viribus nitor et meas et legentium passiones animi mollire, vel, si datum fuerit, exstirpare » (1). Quæ quidem epistola anno circiter MCCCLX scripta fuisse videtur; inde igitur constat Petrarcham duo illos *De remediis* libros jam anno MCCCLX inceptos ante annum MCCCLXV perfecisse.

Materies vero quæ sit, ut ex ipsius libri titulo, ita præsertim ex epistola ad Azzonem quæ totius operis procemium esse videtur, satis apparet. Quum veteres de philosophia morali scriptores legeret, hoc Petrarcha sæpe miratus fuerat præcepta semper de rebus adversis dari, de prosperis nunquam; utramque vero fortunam paribus philosophiæ adminiculis egere, neque prospera bene uti facilius quam adversa arbitratus, librum in quo diversa pro diversis fortunæ casibus præcepta, tanquam remedia, reperi-

(1) *Senil.*, lib. XV, ep. IX, p. 962.

rentur scribere statuit (1); hunc autem ideo Azzoni dicatum voluit, quod ei librum haud mediocriter utilem fore arbitrabatur: ille enim diversissimas extremasque rerum humanarum expertus vices fortunæ quasi ludibrium quoddam factus erat: potens olim ac dives, nunc urbe quam princeps regerat pulsus, extorris patria domoque, pecuniæ simul et amicorum inops, in summa omnium desidia ægrotabat. Inde eum noster alloquens: «Impletum in te uno vidimus, ait, quod de duobus summis viris C. Mario Magnoque Pompeio legimus, quid boni scilicet et quid mali possit explicuisse fortunam.» Azzoni vero in hac universa amicorum defectione unus Petrarcha non defuit, gratumque amicitiæ munus miserum amicum solando et exhortando solvere est molitus.

(1) Ipse vero audiatur; numquam enim, nostro quidem judicio, felicius atque elegantius latina lingua usus est: « Vitam, quæ, si rite ageretur, felicissima prorsus ac jucundissima rerum erat, miserandum ac triste negotium effecimus; culpa omnis in nobis est quod illud est bellum quamque perpetuum quod cum fortuna gerimus... Soli, imbecilles, exarmati, non æquo Marte cum implacabili hoste congredimur, quos illa vicissim ceu leve aliquid attollit ac dejicit, et in gyrum rotat ac de nobis ludit. Id vero quid aliud quam levitas ac mollities nostra fecit? Quanta gratia claris ac probatis scriptoribus habenda qui inter perpetuos animorum fluctus, ceu totidem lucida sidera et firmamento veritatis affixa, ceu totidem suaves ac felices auræ, totidem industrii et experti nautæ, et portum quietis nobis ostendunt, et eo voluntatum lenta carbasa promovent, et fluitantis animæ gubernacula regunt... His igitur brevibus et præcisis sententiis, quasi quibusdam expeditis atque continuis armis, contra omnem fortunæ repentinum impetum hinc illinc jugiter eris instructus. Duplex enim nobis est duellum cum fortuna et utrobique quodam modo par discrimen; cujus non nisi partem unicam vulgus novit, eam scilicet quæ vocatur adversitas; philosophi, etsi utramque noverint, hanc tamen ipsam difficiliorem arbitrantur: ego vero difficilius prosperæ fortunæ regimen æstimo quam adversæ. Quod ut sic opiner rerum adigunt experimenta et magnum difficultatis argumentum raritas. Nam qui damna, pauperiem, exsilium, carcerem, supplicium, mortem et pejores morte morbos æquo animo tulerint multos vidi, qui divitias, honores, potentiam, nullum. (*De remed. utriusq. fort.* Præfatio.)

Hos vero libros velut apes mella sua composuisse videtur, ut qui singulas ex veteribus quum antiquitatis tum Ecclesiæ scriptoribus sententias tanquam flores decerpserit, quas ægrotantis amici animo velut salubre quoddam remedium adhiberet. Multum enim in veterum lectione se profecisse adeo non Petrarcha negat ut fateatur contra et ipse fatendo glorietur. M. Tullium et Annæum Senecam imprimis se magistros ac patronos habuisse testatur, neque eum alienis abundare divitiis pudet : « Veritas enim, ait, et virtus publicæ sunt. » Cujus autem sententiæ auctor ipse Seneca, qui in epistola quadam ad Lucilium : « Veneror, inquit, inventa sapientiæ inventoresque; mihi ista acquisita, mihi ista laborata sunt... Animi remedia inventa sunt ab antiquis, quomodo autem admoveantur aut quando nostri operis est quærere. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; multum adhuc restat operis multumque restabit » (1).

Quod ad ipsius libri descriptionem attinet, illi *De remediis* duo cæteris scholasticis libris simillimi videntur. Is enim scholasticorum scriptorum mos erat ut hominum cogitationes singulosque animi affectus in vivam quamdam effigiem informarent; quem quidem

(1) *L. Ann. Seneca ad Lucil.*, ep. LXIV. — Conf. *De remed.* Præfatio. « Seneca fortunæ partem quæ sibi difficilior visa erat brevi admodum sermone perstrinxerat. Is libellus passim in manibus est vulgi, cui ego nil addere, nil detrahere meditor. Sed quoniam et virtus et veritas publicæ sunt neque studium antiquitatis obesse debet posteritatis industriæ, de hoc ipso loqui tecum aliquid, quodque ille tunc Gallioni suo præstitit id Azzoni meo nunc præstare propositum est mihi; insuper et partem alteram ab illo seu oblivione seu judicio prætermissam attingere. »

Petrarcha morem secutus, longam dialogorum evolvit seriem, atque *Gaudium* nunc ac *Spem*, nunc *Dolorem* et *Metum* cum *Ratione* colloquentes inducit. Inde duæ atque inter se contrariæ libri partes : in altera quidem quæcunque homines bona vocant longo ex ordine repetuntur, eademque falsa ac fugacia, aut veræ felicitati, id est virtuti, inimica probantur; in altera vero, hæc omnia, quæ miserias ærumnasque credimus, non tam per se quam per nostram ignaviam mala, ac reformidanda minus quam forti animo toleranda demonstrantur. Quin imo, dum Petrarcha diversa diversis accommodare morbis remedia aggreditur nihil in hac prosperarum adversarumve rerum enumeratione, ne minimum quidem, neglectum aut prætermissum sinit; quippe qui, quum inter hominum vitæ bona « suavem odorem, calculorum ludos, simios et ludicra animalia, pavones pullosque et gallinas, » tum inter mala miseriasque « dentium ægritudinem, latrantesque canes, mures præterea et muscas, ranasque et cicadas et pulices » notandum atque describendum putet.

Ut arboris folia inter se simillima sunt, sic in hac ingenti dialogorum copia alter alteri est simillimus : una et eadem omnium dispositio, unus tum incipiendi tum varias loquentium vices servandi mos, eademque concludendi via; quorum si quem transcripserimus cæteros quoque te legisse putes :

*De valetudine prospera.*

Gaudium. — Valetudo corporis firma est.

Ratio. — En senectus ab adverso mille morborum armata generibus; contra valetudinem interea voluptas militat, familiare certamen.

G. — Valetudo corporis læta est.

R. — Inconsulta jucunditas, quæque negligentes et incautos facere soleat possessores suos, et sæpe morbos arcessere quos valetudini propriæ diffidentis intentio declinasset.

G. — Valetudo corporis bona est.

R. — Bene utere, alioquin leve bonum, quin et grave malum, si, ut solita est, culpæ cujuspiam causa sit. Multis periculosa et pestilens sanitas fuit qui tutius ægrotassent.

G. — Valetudo corporis optima est.

R. — Res pergrata multumque utilis... sed ut quarumdam radicibus herbarum inest vis veneni quæ, dum aliarum rerum immixtione purgata est, salubre poculum e pluribus fit quod ex uno pestiferum fuisset, sic corporea sanitas ne noxia sit habenti non aliter quam adjuncta animi prospera valetudine temperanda est. Nusquam pejus sano in corpore æger animus habitat (1).

Non aliter in quovis alio dialogo res agitur. Unus itaque et idem totius libri color, unde fastidium oriatur necesse est. Quod vero ad ipsas res attinet, modum plerumque excessisse neque satis secum consensisse Petrarcha jure dici potest, ideoque duæ libri partes inter se pugnare videntur. Hinc enim teterrimum

(1) *De remed.*, lib. I, dial. III, p. 3.

aliquid hominum vita videtur : nulla bona quæ non corrumpi soleant, nulla vera gaudia, nulla tuta quies, nullum virtutis decus, nulla morum innocuitas : ubique metus, dolor, curæ ac flagitia; quæ quidem de rebus humanis sententia virum illum decet qui se *accidia* laborantem fatetur, vitamque quam degimus his in epistola quadam increpat verbis : « Videtur mihi vita hæc dura quædam area laborum, palæstra discriminum, limosa palus, campus lapidosus, vallis hispida, mons præruptus, vepricosum nemus, etc. » (1). — Illinc vero diversa omnino rerum facies : nil quod non utile, imo jucundum atque optimum sit, nullus dolor quem hominum virtus vincere et in bonum vertere nequeat; inde stoicus interdum ac Senecæ magis quam Christi discipulus noster deprehenditur; plerumque autem ita justum verumque modum excedere solet ut declamatoris ac rhetoris potius quam æqui rerum æstimatoris et vere philosophi partes sustinuisse videatur. Occurrunt præterea subtilius cogitata quædam et dicta argutius, multaque scholarum adhuc barbariem redolentia, joci denique et sales qui minime tanti operis gravitatem decent (2); quæ quidem (et alia forsan, si attentius omnia introspicere velis) damnanda atque abolenda haud immerito videbuntur. At si multum abest quin Petrarcha

(1) *Famil.*, lib. VIII, ep. VIII, p. 708.

(2) Quid de hujuscemodi jocis? « Hic est ludo illi (de taxillorum ludo agitur) mos qui medicis, perexiguo ingesto plurimum exhaurire. » (*De remed.*, lib. II, dial. XVI, p. 124.) « DOL. Lupus meum devoravit infantem. — R. Ista jam vermium est querela. » (*Ibid.*, lib. II, dial. XLIX, p. 146.) « D. Febribus uror. — R. Vermium cibus excoquitur : fer te aliis uri cui toties alia usta sunt. » (*Ibid.*, dial. CXII, p. 197.)

illam Platonis Tulliive venustate temperatam majestatem, ac vere scenicum colloquii instituendi morem imitatus fuerit, adeo tamen non omnia his in libris despicienda atque negligenda sunt ut multa valde probanda et laudanda reperiri liceat. Quum ex aliis tum ex illis præsertim libris quantum antiquitati pernoscendæ studuerit conspicuum est; neque eum veterum modo scriptorum referre sententias et antiquæ philosophiæ præceptis abundare juvat, sed ipse propriis etiam, ut ita dicam, ex officinis multa præ se fert quæ virum varios vitæ expertum labores neque hominum naturæ inscium commendant. Imo etiam, quamvis lutulenta interdum fluat oratio, multa tamen et acute cogitata et dicta eleganter et quæ Annæus Tulliusve a se scripta non recusarent. — Ego vero hoc equidem miror quod egregius ille Lauræ amator, qui divinum aliquid mulieri insitum immodica quadam veneratione ac pietate prosecutus est, nunc in odium feminei generis conversus, vix a maledictis conviciisque temperare queat (1). Adeo verum est contraria sæpe gigni a contrariis; adeo difficile mediam tenere viam neque certos illos fines excedere

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quidquid id est, duo illi *De remediis* libri mirum ac portenti simile aliquid apud Petrarchæ æquales fuere; mox in omnium doctorum manus vulgati sunt, idque

(1) *De remed.*, lib I, dial. LXV-LXVII; lib. II, dial. XVII-XX, p. 52-54; 124-126.

gloriæ consecuti, ut in plerasque vulgares linguas transcriberentur (1).

III, IV. — *De vita solitaria.* — *De otio religiosorum.*

Diversissima quidem atque inter se contraria in Petrarchæ ingenio moribusque, ut supra dictum est, deprehenduntur; illi enim, tot tantisque licet sui temporis rebus implicato ac velut immerso, solitudo tamen et tranquilli procul ab urbium tumultu recessus adeo omnium gratissima fuere, ut ipse felicius ætatis suæ spatium, tum apud Sorgiæ fontem tum Parmensi in villa se degisse fateatur. Inde duo *De vita solitaria* libri, quos Clusiæ primum inceptos apud Parmam demum persolvit, Philippoque Cavallicensi episcopo dicatos misit : « Adesto igitur, inquit, et audi pauca quidem sed in quibus, parvo velut in speculo, totum animi mei habitum, totam frontem serenæ tranquillæque mentis aspicias » (2).

Primum quidem *Occupatus Solitario* opponitur, et quid miseriarum alter, quid alter gaudii per varias quotidianarum rerum vices habeat, « *in somno* scilicet, *in surrectione, quum prandii tempus instat, quum meridies, quum vesper adest,* » non sine festivo quodam lepore refertur. Quid boni præterea, quid periculi in se vita solitaria habeat, quibusque artibus ea bene liceat uti, Petrarcha docet. Inclytissima denique

(1) Hi quidem libri, ut a quibusdam aliis, sic a Nicolao Oresmo e latino in gallicum, Caroli Quinti regis jussu, translati sunt.
(2) *De vita solit.* Præfatio, p. 225.

refert nomina virorum qui solitudinem amaverint eaque feliciter usi fuerint; ab ipso Adamo initium, neque ullus tum antiquorum philosophorum tum Ecclesiæ patrum et eremitarum prætermittitur; inde immensa nominum evolvitur series, quam si quis perlegere velit, ei certe Petrarcham in paganæ simul et christianæ antiquitatis rebus versatissimum fuisse fatendum erit.

Quod si multa in his libris nimia ac modum excedentia videntur, tempora magis quam Petrarcha incusanda sunt. His enim temporibus, nonnulli egregii et ad magna nati viri, quum misceri omnia, corrumpi mores, et Ecclesiam, quæ lumen ac sidus orbi universo esse debuisset, in deterius trahi viderent, tot ac tantis exterriti malis, publicamque salutem desperantes, solitudinem velut portum petendam esse arbitrabantur. Noster vero, ut in multis aliis, sic in hoc quoque æquales suos præstitisse videtur quod non otium iners sed occupatam et paucorum amicorum societate temperatam solitudinem laudaverit; hanc quidem ipse colere solitus est : « Me, inquit, ad mediocrem et solitariam vitam reduxi Euganeis istis in vallibus; domum parvam sed delectabilem et honestam struxi. Hic, quanquam æger corpore, tranquillus animo dego sine tumultibus, sine erroribus, sine curis, legens semper et scribens, Deumque laudans, Deo gratias agens et de bonis et de malis meis » (1). Hanc eamdem vitam laudibus præceptisque commendat : « Volo, inquit, solitudinem non

(1) *Senil.*, lib. XIV, ep. VI, p. 938.

solam, otium non iners nec inutile, sed quod e solitudine prosit multis. Veto in otio ingenium quiescere nisi ut assurgat et intermissione fecundius fiat. Generosas curas non tantum in solitudinem recipio sed arcesso, libros præterea diversi generis, paratos semper vel tacere vel loqui, comites lætos, humiles, doctos ac facundos. Quum mihi advenit amicus hospes, tunc ego non alium invenisse sed me ipsum quodammodo geminatum censeo. Non penitus duo sunt quorum unus est animus : novit amor e duobus unum facere. Quod quum ita sit, sequitur ut quisquis unius idem et duorum capax amicorum locus sit. Nulla igitur solitudo tam profunda, tam parva domus ut non pateat amico » (1). Quis unquam amicitia quid sit melius novit aut expressit felicius? Plus igitur apud eum amicitiarum deliciæ valebant quam ut vitam sine amicis beatam diceret et solitarium a familiaribus segregatum vellet. « Turbas, ait, non amicos, fugiendas dico... Sit solitudo tranquilla, non ferox. Tantis bonis ornata solitudo, si participe careat, intolerabilis esset, sine quo nullus labor, nulla quies suavis. Si alterutro carendum sit, solitudine ipsa privari malim quam amico. Sic itaque solitudinem amplector ut amicitiam non repellam; sicut cætera omnia sic ipsam solitudinem cum amicis partiar » (2).

Ex his profecto constat Horatii magis quam Sancti Hieronymi vel Antonii discipulum Petrarcham fuisse, ut qui studiosam potius quietem lectasque amicitias

(1) *De vita solit.*, lib. II, sect. IX, cap. VI, p. 285.
(2) *Ibid.*, lib. I, sect. V, cap. IV, p. 243, 244.

quam feram in sylvis vitam aut iners sopitumque otium commendasse videatur. Æquius enim et excellentius fuit viro ingenium quam ut humanam naturam mutilare, ut ita dicam, ac mactare vellet : homines sic ab ipso Deo creatos intellexit, ut cum hominibus viverent et quotidiana quadam societate mutuisque beneficiis jungerentur.

Neque tamen duo *De otio religiosorum* libri omnino prætereundi sunt, quos Petrarcha, quum dies aliquot Montriensi in Carthusia apud fratrem trivisset, ad hospitis debitum solvendum monachis dicatos misit; scholasticum quidem opus, et Patrum locis ac sententiis omnino confertum; quod vero attentius considerare parum ad nostrum propositum attinet.

### V. — *De sui ipsius et multorum ignorantia.*

Nihil quidem de quibusdam operunculis quæ inter Petrarchæ epistolas occurrunt (1); at ille qui *De sui ipsius et multorum ignorantia* inscribitur liber nullo modo prætermitti potest ut in quo multa quum de ipso Petrarcha, tum de philosophia, quæ illo tempore fuerit, haud negligenda quidem ac minime contemnenda reperiantur.

Primum quidem cur et quomodo liber ille scriptus fuerit, breviter memorandum est. Ut in universa Italia, ita apud Venetios, quorum Petrarcha tunc hospes erat, aristotelica philosophia florebat, atque penes

(1) *De avaritia vitanda. — De republica optime administranda. — De virtutibus imperatorum.*

Aristotelem adeo summa auctoritas et imperium erant ut nemo, nisi ineptus videri et dici vellet, aliquid cum magistri placitis parum congruens proferre auderet. Quatuor interea juvenes, quum Petrarchæ familiares, tum Aristotelis ferventiores discipuli, nostrum in sua bibliotheca adire et cum eo de variis scientiarum argumentis disputare consueverant. Magistri quidem ut de multis aliis ita de rebus naturalibus placita, non sine quadam verborum et animorum jactantia recitantes, multa de belluis, de avibus, ac de piscibus disserebant, « quot leo pilos in vertice, quot plumas accipiter in cauda haberet. » Quæ quum noster, velut parum certa, minimeque ad bene beateque vivendum utilia, contemneret, mirari illi primum, mox irasci cœpere; atque eo denique audaciæ venerunt, ut, concilio convocato causaque ex utraque parte dicta, hanc de Petrarcha sententiam dicerent : « sine litteris bonum virum esse » (1).

Quæ ubi in urbe vulgata fuit sententia, stupere ac turbari omnes : exsultare alii, alii indignari; at Petrarcha ridere, neque se ullo alio modo nisi silentio defendendum censere, major enim sibi videbatur quam cui invidia nocere posset. Amicis vero alia mens fuit, neque Petrarcham prius hortari atque lacessere desierunt quam apologiam ut scriberet suasissent. Inde igitur *De sui ipsius et multorum ignorantia* liber; nunquam vero facetus magis aut jucundior Petrarcha visus est; nunquam condita melius venustate ac lepore gravitas, nunquam sub festiva qua-

(1) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1039.

dam benignitatis specie felicius ac mordacius acumen.

Paucis primum quatuor juvenum disputationes irasque et sententiam in se dictam memorat, judicibusque gratias agit, qui se bonum tamen, licet sine litteris, virum declaraverint : « O utinam, inquit, veri nihil unquam præter hoc unum dixerint! Et te, Jesu, oro, ut hæc saltem portio mea sit ut vir bonus sim. Ad hoc enim, non ad litteras natus sum » (1). Inde, ignorantiam dum mira quadam at non sine sale et aculeo modestia confitetur, doctrina atque litteris omnino eruditus et expolitus deprehenditur, quippe qui veterum modo scriptorum dicta referat, modo repertos a se codices longosque annos in studiis vigiliisque consumptos memoret, et poetica denique laurea atque doctorum hominum amicitiis glorietur. Varias præterea philosophorum de Deo, de mundo ac de animo sententias ita refert ut singulis opponat singulas, omnesque philosophos tum inter se pugnantes tum nihil se scire ultro profitentes deprehendat; tum denique in Christum velut in unum veræ sapientiæ fontem convertendos esse hominum oculos docet. Quod vero ad ipsum attinet, ab ineptis judicibus posteros appellat quos æquius ac melius de se judicaturos persuasum habet.

## VI. — *De vera sapientia.*

Restant adhuc duo *De vera sapientia* dialogi, qui, brevissimi licet inter omnes Petrarchæ libros, per-

(1) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1039.

magno tamen æstimandi sunt ac dignissimi qui attentius considerentur; qui quidem enumeranti mihi philosophica Petrarchæ opera minime prætereundi erant, quid doctrinæ vero sit in illis a me peculiarem viri philosophiam explicante melius exponetur. Ubi aut quando scripti fuerint, parum certum est; novissimis vero Petrarchæ operibus certe annumerandi : illis enim nescio quid maturius inest et quod seniorem variosque vitæ labores expertum virum deceat; in his præterea propriam Petrarchæ doctrinam rite explicatam atque unum in corpus coalitam deprehendere licet.

## VII. — *Epistolæ.*

Ut in multis aliis sic et in epistolis etiam scribendis M. Tullium noster æmulari studuit. Quum ponderosum illud epistolarum volumen evolvere velim, non possum quin incredibilem Petrarchæ diligentiam mirer, neque facile intelligere queo quomodo inter tot tamque diversas curas tanta viro otia fuerint ut tam multas easdemque interdum longiores litteras scribere posset. Quippe, multis ab ipso in ignem illatis (1), reliquæ immensi voluminis in corpus coaluerunt. Lo-

(1) « Quadringentas et eo amplius epistolas, magna ex parte non exiguas sed ingentes mihi elapsas, diversis temporibus ad diversos plerumque, etiam ad ignotos, duobus sat magnis voluminibus comprehendi, mille aliis rejectis nullam aliam ob causam quam quod eas locus ipse non caperet. » (*Senil.*, lib. XV, ep. III, p. 950.) — In Genevensi quadam editione nonnullæ exstant epistolæ quæ in Basiliensi non deprehenduntur. Parisiis quoque in regia bibliotheca plures epistolarum reperiuntur codices; imo vero nova editio Florentiæ nuper incepta est in qua multæ nondum editæ epistolæ colliguntur.

quacior quidem in amicitiis fuisse videtur; at uberior ille sermonis fluxus comitate adeo et jucunditate aspergitur ac quasi temperatur ut minime legentis fastidium pariat. Liberrime reges optimatesque alloquitur, humiles comiter : nullæ blanditiæ, superbia nulla; nihil denique nisi viro, et philosopho, imo christiano, dignum. Ex his igitur epistolis Petrarcha, qualis fuerit, conspicuus apparet, vir scilicet ad omnia grandia natus, quum musarum et veterum litterarum tum patriæ romanique præsertim nominis amantissimus, cujuslibet servitutis impatiens, « veritatis, ut ait, non sectarum sectator, » et, ut Horatianis utar,

Virtutis veræ custos rigidusque satelles.

Adeo præterea sui temporis rebus interfuit, ut si quis rectam illius ætatis notitiam habere velit, is Petrarchæ epistolas perlegat oportet. Multa denique in illis reperiuntur quæ ad philosophiam pertinent, sententiæ scilicet quum ex veterum officinis tum e proprio sacrario prolatæ, quas si quis æquus Petrarchæ philosophi æstimator esse velit, accurate colligere et undique, disjecti velut corporis membra, in unum contrahere debeat.

Quod si multum quidem abest quin Petrarcha Tullianam illam elegantiam aut perfectissimum illum sermonis nitorem æquaverit, eum tamen in assidua Ciceronis familiaritate, sicut vasa illa quæ diutius exhausti jam liquoris odorem redolent, multum profecisse fatendum est.

## CAPUT TERTIUM

—

### QUID IN PETRARCHÆ CARMINIBUS AD PHILOSOPHIAM ATTINEAT

Neque quidem vulgaria Petrarchæ carmina nobis qui philosophus ipse fuerit quærentibus omnino negligenda sunt. Ille enim totus, ut ita dicam, qualibet operum in parte deprehenditur, quippe qui, ut in epistolis, sic in carminibus etiam quum antiquitatis cultorem, tum Italiæ amantissimum, philosophum præterea ac vere christianum se præstare et præbere sit solitus. Imo philosophicum aliquid ipsis poetæ amoribus inest : ei nempe, utpote Platonis et mysticorum philosophiam odorato, cœlestius nescio quid mulier, et amor vis divina quædam quæ hominum animos ad altiora erigeret, esse videbantur.

Ut Dantes, Beatrice duce, nondum tactas cœli vias penetrare potuit, sic noster, suadente Laura, ad cœlestia enisus est rectumque iter sequi didicit quo in portum pervenire liceat. Audiatur et ipse amplissimas amicæ gratias agens cujus sub auspiciis inanes voluptatum illecebras contemnere ac divina quærere primum cœperit :

.....Anima, assai ringraziar Dei
Che fosti a tanto onor degnata allora.

Da lei ti vien l'amoroso pensiero
Che, mentre 'l segui, al sommo Ben t'invia,
Poco prezzando quel ch' ogni uom desia.

Da lei vien l'animosa leggiadria
Ch' al ciel ti scorge per destro sentiero,
Si ch' i' vo gia della speranza altiero (1).

Quum jam supremum diem Laura obierit sæpe Petrarcha eam adesse sibi videtur et secum colloquentem, poetico de more, fingit: ipsa amicum hortatur ut spes omnes in æternis et divinis sitas fixasque habeat, atque ita vivendi instituat morem ut ævum sine fine beatum, in cœlestes domus olim receptus, cum amica degere possit. Teneri quidem non possum quin hoc unum, inter multa alia, carmen transcribam :

Levommi il mio pensier in parte ov' era
Quella ch' io cerco e non ritrovo in terra:
Ivi, fra lor che 'l terzo cerchio serra,
La rividi più bella e meno altera.

Per man mi prese e disse: In questa spera
Sarai ancor meco, se 'l desir non erra:
I' soi colei che ti die' tanta guerra,
E compie' mia giornata innanzi sera.

Mio ben non cape in intelletto umano;
Te solo aspetto e quel che tanto amasti,
E lagginso è rimaso, il mio belo velo.

Deh perchè tacque ed allargò la mano?
Ch' al suon de' detti si pietosi e casti
Poco mancò ch' io non rimasi in cielo (2).

(1) Sonn. XII. Cf. Sonn. CCXLV, et *De contemptu mundi*, lib. III.
(2) Sonn. CCLXI.

Quid divinius unquam? quid altius cogitatum aut expressum felicius? Quanta rerum sublimitas, quanta verborum majestas ac suavitas! Neque quidem satis scio utrum poeta magis an philosophus, imo Christi discipulus, laudandus sit.

At non æquis semper passibus « divam Lauram » cœleste iter monstrantem Petrarcha sequitur; sæpius enim terrestrium magis quam divinarum rerum amore captus, adeo voluptatum implicatur vinculis ut altius assurgere et divina amplecti nequeat. Neque tamen se inanibus falsisque decipi illecebris nescit, atque Deo, cæteris curis neglectis, inservire conatur: inde varii imo sub pectore motus, et inter se pugnantium affectuum discordiæ; inde illi, quos supra memoravimus, *De contemptu mundi* libri, inde nonnulla etiam carmina in quibus inter multa alia, et hæc quoque leguntur :

Vorre' il vero abbraciar, lassando l'ombre.
Ma quell' altro voler, di ch' i' son pieno...
Mi ritien con un freno
Contra cui nullo ingegno o forza valme.

. . . . . .

Quel ch' i' fo, veggio; e non m'inganna il vero
Mal conosciuto, anzi mi sforza amore (1).

Pacatis vero animis, veram sapientiam adeptus est et in Deo tanquam in portu acquievit.

Multa præterea ac minime quidem negligenda de animi immortalitate rebusque futuris in vulgaribus illis Petrarchæ carminibus nobis occurrunt. Mortem enim initium potius quam finem vitæ, homines-

(1) Canz. XXI. Cf. *De contemptu mundi*, passim.

moriendo vere nasci arbitratur; animum adeo non quum e corporeis vinculis evaserit dissipari putat, ut ne sopitum quidem ac somno quasi sepultum censeat; vivit igitur post mortem animus, imo plenam veramque adipiscitur vitam; ideoque continuum ac perpetuum aliquid animorum vita, ut quæ uno et eodem tenore per varias mutationes, sine ulla intermissione, peragatur : primum quidem corpus vile carcerem magis quam socium habet animus, mox vero corporeis elapsus vinculis liberiore fruitur motu, donec corpus nitidius subtiliusque, quasi instrumentum miro quodam artificio ad quælibet jussa efficienda accommodatum, rursus induat.

At ipse potius Petrarcha audiatur quum defunctum amicum his alloquitur verbis :

Sennuccio mio,.....
..... i' pur mi riconforto,
Perchè del corpo, ov' eri prese e morto,
Alteramente se' levato a volo.

Or vedi insieme l' uno e l' altro polo,
Le stelle vaghe, e lor viaggio torto (1).

Quis vero, si carmina post Lauræ obitum scripta perlegere velit, poetam non miretur audacissimo ingenii impetu ipsius cœli limina penetrantem, aut cœlum potius in terras, ut ita dicam, descendere cogentem? Quæcunque enim nos præsumimus et odoramur magis quam novimus aut videmus, hæc ille penitus novit, imo videt, atque in illis naturali quadam animi con-

(1) Sonn. CCXLVI.

suetudine versatur, quippe qui Lauræ vultus sic intueri vocesque sic audire sibi videatur ut eam, non vita defunctam sed vivam ante oculos stantem et secum colloquentem sentiat :

Lei che 'l ciel ne mostrò, terra n' asconde,
Veggio ed odo ed intendo, ch' ancor viva
Di sì lontano a' sospir miei risponde (1).

L' invisibil sua forma è in paradiso,
Disciolta di quel velo
Che qui fece ombra al fior degli anni suoi,
Per rivestirsen poi
Un' altra volta, e mai più non spogliarsi;
Quand' alma e bella farsi
Tanto più la vedrem, quanto più vale
Sempiterna bellezza che mortale (2).

Carminibus præterea illis, quæ *Trionfi* inscribuntur, magnum aliquid ac vere philosophicum inest. Amorem nempe curru triumphali vectum universumque hominum genus captivum ducentem videre sibi poeta videtur; at virgo interea, corporis quidem forma præstans, castitate vero et virtute præstantior, Laura videlicet, Amorem ovantem victoriaque superbientem ultro petit et felici superat Marte ; dum vero triumphalem pompam in Pudicitiæ templum ducit, ipsa a Morte petitur et vincitur; vincitur autem Mors a Fama, Fama a Tempore, Tempus denique a Deo. Tum demum Laura, ex alto cœli limine Petrarcham alloquitur, eumque hortatur ut inanibus curis ne-

(1) Sonn. CCXXXVIII. Cf. Son. CCXLV, CCXXXVII, CCXXXIV, etc.
(2) Canz. XXII.

glectis, veræ sapientiæ, id est Deo colendo et amando, studeat.

Hæc quidem dixisse satis est, ex quibus facile intelligi potest quantum vulgaria etiam carmina ad Petrarchæ philosophiam rite cognoscendam valeant. Nunc vero quem inter philosophos locum ipse obtinuerit, ipsiusque philosophiam, quæ fuerit, quærere et explicare aggrediar.

## CAPUT QUARTUM

### DE PECULIARI PETRARCHÆ PHILOSOPHIA

Si nihil aliud nisi maximus inter resurgentium litterarum patronos Petrarcha fuisset, eum tamen plurimum de philosophia meruisse fatendum esset; at ille non veterum modo opes in lucem protulit, verum etiam, utpote cui felix per se esset ingenium, ipse philosophi suscepit partes; quin imo, dum in veteribus litteris restituendis plures socios habet, hæc ejus peculiaris gloria est nondum tritas philosophandi tentavisse vias in quibus vix antecessorem, vix successorem ullum habuisse videatur.

His enim temporibus philosophia e theologiæ vinculis elapsa in Aristotelis jus atque ditionem venerat, qui quidem, discipulorum ineptia adulteratus, jamdiu a nemine intelligebatur. Scholastica vero barbarie inquinati, nil aliud præter subtilitates et argutias præstabant philosophi, neglectisque rebus quæ ad recte vivendum pertinent, modo hirsuta et inania verba per syllogismos crepabant, modo arcana naturæ et rerum principia, Aristotele duce (si quidem tunc Aristotelem fuisse concedamus), disquirere cona-

bantur. At Petrarcha scholasticis simul et Aristoteli bellum indicere, novumque philosophandi morem instituere ausus est.

Posteriores vero philosophi, qui jam instauratis litteris floruere, recuperatæ antiquitatis thesauris incumbebant veterumque arctius hærebant vestigiis, et quum nullus eorum ita propriis ingenii viribus valeret ut novas per se inveniret vias, suum quisque magistrum sequebatur, Platonisque alii, alii Aristotelis, quem græcum legere didicerant, Zenonis alii, alii Epicuri in verba jurabant. Non eadem Petrarchæ philosophandi ratio : nulli enim peculiariter magistro addictus, singulasque, ut ita dicam, odoratus philosophias, quidquid in illis bonum aut utile videretur carpebat, ut in proprium thesaurum congereret, et, undique collecta materia, ad certum quoddam animoque insitum exemplar, philosophiam suam quasi monumentum ædificaret. Verum enim, non sectas, sequendum esse censebat : « Ex opinionibus, ait, quædam placent, aliæ autem minime ; non enim sectas amo sed verum ; itaque nunc peripateticus, nunc stoicus, interdum academicus, sæpe autem nihil horum. Nulla disputationum argutia, nulla verborum lenitas, nulla nominum nos tangat auctoritas » (1).

Aristotelicam quidem philosophiam, haud integram tamen sed ab ineptis discipulis adulteratam, didicerat, quippe qui in scholis diu esset versatus ; scholasticas vero adeo detestabatur argutias, adeoque cujuslibet servitutis impatiens erat, ut ne Aristotelis

(1) *Famil.*, lib. VI, ep. II, p. 657.

quidem discipulus dici vellet; cui Platonem certe, utpote altiora petentem et magis ad regendos mores apta docentem, anteposuisse videtur. Quorum etsi libros non penitus noverat, ut qui minimam græci sermonis notitiam habuerit, utriusque tamen ita odoratus erat philosophiam ut, neutrum magistrum secutus, suam cuique laudem suumque locum tribuere valeret : « Aristotelem, inquit, scio maximum esse virum, sed hominem. Scio in libris ejus multa disci posse, sed et extra sciri aliquid posse credo, et antequam Aristoteles scriberet, antequam doceret, antequam nasceretur multa aliquos scisse non dubito : Homerum, Pythagoram, et philosophiæ principem Platonem. Quis, inquiunt, principatum hunc Platoni tribuit? Ut pro me respondeam, non ego sed veritas, ut aiunt; dehinc magni tribuunt auctores, Cicero et Virgilius, Plinius præterea et Plotinus, et ex nostris Ambrosius, Augustinus et Hieronymus. Et quis non tribuit nisi insanum et clamosum scholasticum vulgus?... Siquidem de Platone et Aristotele quæratur quis major clariorve vir fuerit, anceps æstimatio est. Quis inter Platonem et Aristotelem sedens judiciaria auctoritate pronuntiet? A majoribus Plato, Aristoteles laudatur a pluribus; a magnis et a multis, imo ab omnibus, dignus uterque laudari : eo enim ambo naturalibus atque humanis in rebus pervenerunt, quo mortali ingenio ac studio perveniri potest; in divinis altius ascendit Plato, quanquam neuter pervenire potuerit quo tendebat » (1).

(1) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1052, 1053.

Si quis inter veteres philosophos Petrarchæ patronus ac magister quærendus est, Tullius potissimum discipulum eum habuisse videtur; Tullii enim, quem a tenero adamaverat, in hoc imprimis vestigiis hæsit quod, nullius sectæ partes omnino secutus, quid in quaque ad bene vivendi regendum morem utilius videretur, sibi accommodaverit, ac temperatam quamdam et maxime ad recte vivendum aptam philosophiam instituerit. Unus igitur et idem Tullio ac Petrarchæ philosophandi fuit mos : neuter stoicus potissimum aut epicureus fuit, sed mediam quamdam inter utramque partem ambo tenuerunt viam, quippe qui, quum virtutem summum esse bonum atque per se ipsam petendam dicerent, ne voluptatem quidem bonum esse negaverint. — Duos quidem *De remediis*, libros *eclecticæ* hujus (si verbo uti liceat) philosophiæ, ac prioribus passim ex auctoribus, Tulliano de more, partæ, documentum habemus; quibus nempe in libris non tam absolutum quoddam ac perfectum doctrinæ corpus effingere, quam varia e Tullii Annæique et Augustini sacrariis prolata præcepta, velut arma quibus modo prospera modo adversa fortuna vinceretur, præbere ac ministrare voluit. Neque quidem philosophus dici ipse cupiit, neque se ad tanti nominis pondus sustinendum satis valentem arbitratus est.

Cæterum et in hoc etiam Tullio consensisse Petrarcha videtur quod homines, ut qui incerta sæpe pro certis falsaque interdum pro veris tenere, et contraria nonnunquam ac secum pugnantia asseverare soleant, vero cognoscendo impares duceret; tenebras autem, quibus quasi nigra quadam caligine

operitur veritas, nullo alio modo nisi lumine quodam atque afflatu divino pelli ac divelli posse noster arbitrabatur. Academicorum ideo potissimum secutus partes, ac verum quæri magis quam inveniri posse ratus, ita philosophandi instituit morem ut nihil ipse affirmet, refellat alios, et plerisque de rebus nihil certi scire homines censeat. « Non scholasticus quidem sum, ait, sed silvicola, solivagus, inter aerias fagos nescio quid insulsum strepere solitus, sectarum negligens, veri appetens; quod quoniam quæsitu arduum, ego quæsitor infimus et infirmus, sæpe diffidens mei ne erroribus implicer, dubitationem ipsam pro veritate amplector. Ita sensim academicus evasi, nil mihi tribuens, nil affirmans, dubitansque de singulis, nisi de quibus dubitare sacrilegium reor » (1).

Non enim academicam illam dubitationem sic probare videtur ut nihil omnino pro certo habendum esse existimet; quippe qui, dum rerum naturas causasque ignorari facillime patitur, quæ ad vitæ normam pertinent nesciri nefas censeat. Non igitur philosophiam prorsus neglectam voluit, sed eam a rebus physicis ad rectum vivendi morem avocavit; ideoque de Petrarcha jure dici potest quod de Socrate a Tullio dicitur : « primum a rebus occultis et ab ipsa natura involutis avocavisse philosophiam et ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus et vitiis omninoque de bonis rebus et malis quæreret; cœlestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret, vel, si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene viven-

(1) *Senil.*, lib. I, ep. v, p. 745.

dum » (1). Sæpius igitur Petrarcha Aristotelis increpat discipulos multa minime quidem ad beatam vitam spectantia disputantes : « Nam quid, oro, ait, naturas belluarum ac volucrum et piscium et serpentum nosse profuerit, et naturam hominum, ad quid sumus, unde et quo pergimus, vel nescire vel spernere ? » (2)

Ipse vero nunquam meræ philosophiæ studet, sed omnia ad usum trahit, neque ita veteres etiam litteras discendas et colendas censet ut facundiores doctioresve sed ut meliores ac feliciores homines fieri queant. « Ne vero ignavia consenescat ingenium, hortor atque obsecro ut omni vigilantia et summis viribus animi tenebras ignorantiam depellamus, enitamurque in terris aliquid addiscere quo via nobis ad cœlum fiat » (3). Hoc itaque in Aristotele valde improbare solet quod virtutes quidem ac vitia rite describere possit, voluntatem vero ad bona petenda fugiendave mala erigere non valeat. « Quid profuerit nosse quid est virtus, ait, si cognita non ametur? Quid peccati notitia utilis, si cognitum non horretur? Hi sunt veri philosophi morales quorum prima et ultima intentio est bonum facere auditorem et lectorem... Satius est bonum velle quam verum nosse. Itaque longe errant qui in cognoscenda veritate non in adipiscenda, in cognoscendo non in amando Deo tempus ponunt » (4).

(1) *Academic.*, lib. I, IV.
(2) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1038.
(3) *Famil.*, lib. I, ep. VII, p. 581.
(4) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1051.

Nihil est igitur cur miremur Petrarcham scholasticas subtilitates argutiasque atque inanes dialecticorum disputationes odisse, crebrisque contumeliis illos increpuisse viros « qui summam, ait, voluptatem in contentione percipiunt, qui non tam victoriam appetunt quam certamen, quibus non verum invenire propositum est sed altercari. — Dialecticam tu condemnas, inquiunt. — Absit. Scio enim quantum illi stoici tribuant, secta philosophorum fortis et mascula; scio quod est gradus ad alta nitentibus, et inter philosophorum dumeta gradientibus non inutilis armatura : excitat intellectum, signat veri viam, monstrat vitare fallacias. At viatoris insani est amœnitate viarum metam quam destinaverat oblivisci; dialecticæ scholas quibus pueri lusimus senes relinquere sciamus » (1). Alias autem : « Surgunt, inquit, his diebus dialectici non ignari tantum sed insani, et quasi formicarum nigra acies nescio cujus cariosæ quercus e latebris erumpunt, omnia melioris doctrinæ arva vastantes » (2). Alia denique in epistola juvenem a scholasticis disciplinis deterrens : « Dialectici, ait, passim multi sunt, philosophi autem veri nulli. De artibus ad quas te contulisti elice quod tibi utile, quodque animæ moribusque tuis salutiferum experiris. Reliqua ut venenum abjice. Multa ibi sunt devia atque inextricabilia; qua qui pergunt veniunt ad ignorantiam Creatoris omnium. Blandi itineris ferox terminus de promissa luce ad tenebras pervehire.

(1) *Famil.*, lib. I, ep. VI, p. 579 et sq.
(2) *Senil.*, lib. V, ep. III, p. 795.

Multa sunt quæ nescire ea demum scientia summa est. Cura ut fias non ventosus disputator sed realis artifex » (1).

Mendaces præterea scholarum irridet apparatus, quorum artificio efficiebatur ut inepti plerumque et insulsi homines docti vulgo videri et dici solerent, festumque doctoris promovendi morem his concinne jocans describit verbis : « Venit stultus juvenis ad templum; præceptores illum sui prædicant, plaudunt affines et amici; ipse jussus in cathedram scandit, cuncta jam ex alto despiciens et nescio quid confusum murmurans. Nunc majores certatim ceu divina locutum laudibus ad cœlum tollunt; tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant anuli, figuntur oscula, vertici rotundus et niger pannus imprimitur. His peractis, descendit sapiens qui stultus ascenderat; mira prorsus transformatio est, nec Nasoni cognita. Sic fiunt hodie sapientes » (2).

Hi quidem joci plurimum ad evertendam scholasticam valuerunt, quippe ut Flaccus ille ait :

... Ridiculum acri
Plenius ac melius magnas plerumque secat res.

At hujus barbariæ, cui tam felicibus auspiciis bellum indixerat, vinculis adhuc ipse implicatus, sæpe easdem subtilitates argutiasque, eamdemque rerum et verborum tenuitatem adeo imitatus est ut vix facilius interdum legatur quam hirsuti illi et insulsi de

(1) *Senil.*, lib. XIII, ep. v, p. 919, 920.
(2) *De remed. utriusq. fort.*, lib. I, dial. XII, p. 10.

quibus jocatur scriptores. Tanta vis enim in alienis exemplis priorumque annorum consuetudine inest ut fere nemini tempora sua, ut ita dicam, vicisse contingat.

Culpam vero temporibus potius quam Petrarchæ attribuendam omittamus. Morali quidem, ut supra dictum est, philosophiæ parti, cæteris neglectis, studebat, eoque pluris singulas faciebat artes quo magis ad rectam vivendi viam valebant : virtutem colere, Deum amare, nihil scire nisi quod ad bene vivendum pertineat, eam demum veram philosophiam esse arbitrabatur. Quum vero ad hanc adipiscendam parum humanas vires valere censeret, Christum magis quam Socratem, Platonemve aut Tullium ducem ac magistrum sequendum esse ducebat : « Si mirare Ciceronem, inquit, hoc est ciceronianum esse, ciceronianus sum. At ubi de religione, de summa veritate, de vera felicitate deque æterna salute agitur, non ciceronianus certe aut platonicus, sed christianus sum » (1). Ex quo quidem apparet non ita antiquitatis cultorem Petrarcham fuisse ut christianus esse desierit; imo christianæ religionis custos ipse, ut ita dicam, et satelles factus, Christi inimicis bellum indicere ausus est. His enim temporibus philosophi quidam in Italia florebant, qui, Aristotelem Averroimque magistros secuti, naturam summam rerum gubernatricem, æternumque et nunquam periturum mundum, Deum præterea nihil nisi vacuum et inane verbum, aut quemdam naturæ insitum ordinem esse

(1) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1055.

docebant. Eidem, quum religiones omnes arte et fallacia hominum ad opprimendos populorum animos inventas opinabantur, tum Christi facta dictaque fabulis et ineptiis annumeranda censebant, et neminem christianum esse nisi stultum atque insulsum clamitabant. Petrarcha vero neque tantam tolerare audaciam neque despectum vituperatumque sanctissimum Christi nomen ferre potuit, Averroisque discipulos exsecrationibus et contumeliis assidue prosecutus est (1).

« Nescio unde novi veniunt theologi, inquit, qui jam doctoribus non parcunt, nec mox apostolis ipsique parcent Evangelio, ora denique ipsum in Christum temeraria laxaturi, nisi ipse cujus agitur res occurrat atque indomitis animantibus frenum stringat » (2). « Non modo mundi fabricam Platonis in *Timæo* sed mosaicam Genesim, fidemque catholicam, totumque Christi dogma sanctissimum ac saluberrimum oppugnare non metuant, nisi humano magis quam divino supplicio terreantur, quo cessante, submotisque arbitris, oppugnant veritatem et pietatem, clanculum in angulis irridentes Christum atque Aristotelem quem non intelligunt adorantes. Fidei secta-

(1) Inter hos arabes quoque medici erant, ignorantia simul et audacia insignes, quos sæpius vehementissime Petrarcha increpuit. Quatuor *Invectivarum* libros in medicum quemdam scripsit, pluribusque in epistolis medicos, astrologos et universum Arabum genus conviciis insectatus est. Vid. *Senil.*, lib. XV, ep. III; lib XII, ep. I et II; lib. XIII, ep. VIII; lib. XIV, ep. XVI; lib. III, ep. IV; lib. V, ep. IV. — Quamobrem Patavinus quidam Petrarchæ monumentum erigere voluit, in quo hæc verba inscriberentur :

Francisco Petrarchæ medicorum hosti infensissimo.

(2) *Senil.*, lib. V, ep. III, p. 796.

tores insectantur obtusosque et ignaros dicunt..... Proh Superum atque hominum fidem! Sic jam nemo igitur litteratus horum judicio esse potest, nisi sit idem hæreticus! » (1) Et alias : « Fuit nuper in hac bibliotheca nostra unus horum moderno more philosophantium, qui nihil actum putant nisi aliquid contra Christum et cœlestem Christi doctrinam latrent; cui quum nescio quid e sacris libris ingererem, ille spumans rabie : « Tuos, inquit, et Ecclesiæ doctorculos tibi « habe, et tu esto christianus bonus; ego horum « omnium nihil credo. Et Paulus, et Augustinus tuus, « hique omnes alii quos prædicas, loquacissimi ho- « mines fuere; utinam tu Averroim pati posses ut « videres quanto ille tuis his nugatoribus major est. » — Exarsi, fateor, et vix manum ab illo impuro et blasphemo ore continui » (2).

Petrarcham vero christianum esse et dici adeo non pudet, ut etiam despecto illo nomine gaudeat et glorietur : « Quo plura, inquit, contra Christi fidem dici audio, eo Christum magis amem et in Christum fide sim firmior. Ita nempe mihi accidit ut si quis in patris amore tepentior de illo audiat obloquentes, amorque qui sopitus videbatur illico inardescit; ita enim eveniat necesse est si verus est filius » (3). Egregia quidem verba, ac vere christianæ mentis præclarum testimonium!

Sic in epistola etiam quum adolescentem quemdam verum philosophandi morem docet : « Vis esse sa-

(1) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1049, 1056.
(2) *Senil.*, lib. V, ep. III, p. 796.
(3) *De sui ipsius et mult. ignor.*, p. 1044.

piens, ait, esto pius; amator scientiæ sed virtutis magis; amicus Aristoteli sed amicior Christo, sine quo fundamento quidquid ædificas procul dubio ruiturum est. Christi autem inimico esto hostis Averroi» (1). Quod quidem ad Averroim attinet, cum præceptis exempla simul præbuit, ut qui eum ejusque discipulos perpetuo bello insectatus fuerit; nempe quum Averroim ex integro refellere ipse statuisset neque inceptum opus perficere potuisset, Ludovicum Marsiglium hortatur ut idem tentare atque efficere velit : « Quæso, ait, ut contra canem illum rabidum Averroim qui furore actus infando contra Dominum suum contraque catholicam fidem latrat, collectis undique blasphemiis ejus (quod, ut scis, jam cœperamus, sed me ingens semper at nunc solito major occupatio, nec minor temporis quam scientiæ retraxit inopia), totis ingenii viribus ac nervis incumbens, rem a multis magnis viris impie neglectam, opusculum unum scribas, et mihi illud inscribas, seu tunc vivus ero, seu interim obiero. Non dubita defuturum tibi vel ingenium vel stylum : aderit Christus suas res agenti qui tibi affuit vel nascenti » (1).

Hactenus quidem sic varias e variis Petrarchæ scriptis protulimus sententias ut quem philosophandi instituerit morem, quod contra scholasticos Averroimque bellum susceperit, qui denique christianus fuerit recte intelligere possemus. Nunc vero, disjecta, ut ita dicam, membra unum in corpus contrahere, et

(1) *Senil.*, lib. XIII, ep. v, p. 920.
(2) *Epist. sine titulo liber*, ep. xvm, p. 734.

quid peculiare in Petrarchæ philosophia fuerit quærere aggrediendum nobis est. Quod quidem ideo facilius erit quoniam ipse integram philosophiam suam in duobus *De vera sapientia* libris rite explicavit. Illam vero, de qua his in libris agitur, veram sapientiam sæpius diversis in locis laudaverat : « Sic philosophemur ut veram sapientiam amemus » (1). « Verus philosophus veræ sapientiæ est amator » (2). Et alias, adolescentem amicum hortans : « Cura ut sis doctus, ait, et, si potes, philosophus, quod esse aliter non potes nisi sapientiam veram ames » (3). Ex his quidem, ut e multis aliis quæ recitare possem, satis conspicue apparet quantum ea, quæ vera dicitur, sapientia apud Petrarcham locum obtinuerit : hanc nosse, hanc amare, ea demun optima philosophandi ratio. Isti igitur *De vera sapientia* libri attentius considerandi sunt, si in secretiorem Petrarchæ mentem penitus introspicere, ac philosophiæ ejus medullam attingere, ut ita dicam, velimus.

Convenisse olim in foro romano *Oratorem* et *Idiotam* fingit; quorum alter quidem doctus simul ac dives, omnibusque eruditus disciplinis, mira quadam superbia tumet et omnia infra suam magnitudinem jacentia despicit; alter vero pauper, simplici atque humili ingenio, ac minime in rhetorum officinis versatus, se nihil scire neque aliunde nisi a Deo sapientiam adipisci posse fatetur. Quis autem oratore in illo scholasticorum discipulum non agnoscat, qui se

(1) *Famil.*, lib. VI, ep. II, p. 657.
(2) *Epist. sine titulo liber*, ep. XVIII, p. 734.
(3) *Senil.*, lib. XIII, ep. V, p. 920. Cf. *De remed.*, p. 10.

summum scientiæ culmen tetigisse retur quod de omni re scibili in utramque partem subtiliter et acute disputare possit. Idiota vero vir ille esse videtur cui candida mens atque ingenuus animus inest, qui, naturæ magis quam scholarum alumnus, nullo falsarum opinionum turbatur strepitu, attentasque aures Deo in interiori ipsius parte loquenti præbere consuevit.

Idiota Oratorem prior alloquitur : « Miror de fastu tuo, inquit, quod innumerabiles libros lectitando nondum ad humilitatem ductus sis. » Stupere primum Orator ad tantam infimi hominis audaciam, mox irasci ac superbire, ut qui perfectissimam sapientiam quum in libris scholisque sibi conscivisse, tum cœlitus accepisse glorietur; Idiota vero, non invidia quidem sed pietate erga miserum commotus, rhetorem hortari ut se ipsum noscat et inanem esse fateatur hanc suam, quam intolerantius jactat, sapientiam : « Vere sapiens, inquit, quantum est quod sibi desit intelligit; non gloriatur itaque, sed suspirat. Hoc est proprium sapientis imperfectum suum nosse et fateri. » Oratorem præterea Idiota monet, ne falsis vulgi opinionibus inanibusque titulis decipiatur, atque iterum, iisdemque omnino verbis, faceta illa occurrit doctoris instituendi solemnis descriptio quam supra alio e loco transcripsimus (1). Tum vero Idiota : « Verus sapiens fit aliter, ait. Ad sapientiam potius assurgendo nitendoque pervenies quam credendo ad eam pervenisse; nihil enim ascendit altius quam humilitas operosa. Si velis fieri sapiens noli te ipsum opinari

(1) Cf. *De remed.*, lib. I, dial. XII p. 10, et supra, p. 50.

sapientem. Stultus fias oportet ut esse possis sapiens. Stultus vero tunc demum tibi esse videbere quum ad tui ipsius cogitationem pervenies » (1).

Semetipsum igitur nosse, se nihil scire ultro profiteri, id demum sapientiæ initium est. Quæ quidem sententia ut Socratis, Tulliique et academicorum discipulum, ita christianum etiam virum decet; hoc enim primum discipulis jubet Christus ut se veri ignaros et cæcos esse confiteantur (2). Et ipse constare sibi Petrarcha profecto videtur, ut qui sæpius eadem in epistolis scripserit. « Tamdiu nihil sciebas, amico inquit, quamdiu multa scire tibi videbaris; quo die tuam ignorantiam deprehendisti, mihi crede, inæstimabiliter profecisti; nunc demum scire aliquid incipis quum nihil scire te credis » (3).

At ipsam sapientiam, quid sit, Petrarcha definire aggreditur : « Quum a sapere sapientia dicitur, inquit, ille profecto sapiens esse judicabitur cui res sapiunt prout sunt, qui sic rebus transitoriis novit uti ne æternis obsint. Hæc vera sapientia est qua sapit Deus sapienti viventi de spiritu ejus; quæ vitam ordinat, componit mores, actus dirigit, ac omnia opera suo quodam divino sapore condidit. » Intus igitur sapientia est; in hominum mentibus, velut abdita quædam vis, infunditur, vivendique morem ad divinum quoddam exemplar effingit. Nihil humani penitus abolere, sed suum cuique tribuere locum, et majora

(1) *De vera sapientia,* dial. I, p. 324 et sq.

(2) Audiatur etiam Paulus apostolus : Εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι, μωρὸς γενέσθω, ἵνα γένηται σοφός (1 Cor. III, 18).

(3) *Senil.,* lib. XV, ep. VI, p. 957.

anteponere minoribus, æterna terrenis, humanisque divina, ea demum recta ac vera sapientia est. Agnoscimus quidem moderatum illud et « æquum, » ut ipse ait (1), Petrarchæ ingenium; quippe qui mediam semper inter extremas viam secutus, innocuos temperatosque laudaverit mores : « Non voluptati studeas, inquit, sed virtuti, imo et voluptati sobrie ac modeste; nulla enim certior, nulla jucundior voluptas quam quæ de animi bonis, innocentia ac virtute, percipitur; non corpus sed ingenium colas, imo et corpus quod exundantia opprimitur et parcimonia ac frugalitate vegetatur » (2). Neque vero iniquus christianæ etiam legis interpres noster videtur, quæ quidem non tam densum quoddam regularum corpus quam divina vis et abdita quædam, intus in animis irrepens ut nova omnia sanctioraque efficiat, jure dici potest.

Quibus de vera illa sapientia auditis jam commoveri cœpit Orator, atque humilis e superbo factus, Idiotam orat ut ad reliqua pergere velit : « Quo pacto edissere mei ipsius notitiam adipiscar? » — « Homo quid sit cogitandum est. Homo, inquit Porphyrius, est animal rationale mortale. Mortale, ait Bernardus, temperet rationale ne forte in superbiam tollatur, et rationale confortet mortale ne in desperationem labatur (3). » — At si quis se ipsum noverit, is se noxium ac sontem plurimisque inquinatum vitiis fatebitur; ei igitur pœnitentia lacrimisque, precibus et eleemosynis

(1) « Ingenio fui æquo. » *Epist posteritati.*
(2) *Senil.*, lib. XIV, ep. IV, p. 934.
(3) *De vera sapientia*, dial. I, p. 325.

opus erit, ut justum iratumque judicem placare queat; et ne ista quidem ad veniam adipiscendam satis valerent, nisi Christus luendis hominum peccatis piaculum fuisset; Christi vero gratia, eis ignoscere quos culpæ pœniteret Deus statuit. Cavendum autem ne in crastinum diem pœnitentia differatur : « Deus enim qui peccanti veniam spopondit peccanti diem crastinum non promisit; nec tamen promisit ei dare voluntatem pœnitendi, sicut non voluntatem peccandi dedit. Voluntate igitur opus est; voluntate quidem non communi et nuda quæ est multorum, sed studiosa et operosa quæ paucorum est. »

Id igitur hactenus Idiota effecit ut Oratorem ad ignorantiæ suæ confessionem, pœnitentiamque et Christi Redemptoris invocationem adduceret; quæ quidem procemium ac quasi præparatio ad causam esse videntur : templi, ut ita dicam, limina atriumque jam apparent, nondum vero penetralia intravimus. « Quæ supra dicta sunt fere omnia, inquit Idiota, de sola creata et quæ homini inesse potest sapientia dixi. Est quidem et alia sed increata sapientia, longe illa præstantior, et tanto quidem quanto finitum ab infinito, æternum a temporali differt. » Illa autem non ex hominum libris discitur, sed cœlitus accipitur; vox sapientiæ in triviis sonat; quam si quis audire velit, attentas modo aures præbeat oportet. Quid vero Sapientia clamitet in triviis posteriore in dialogo exponitur; illa vero libri ex parte quid proprium et peculiare Petrarcha philosophus habeat penitus cognoscere licet : liberiore enim quodam et audaciore ingenii impetu raptus, Platonis quidem vestigiis interdum

hærere, sæpius vero tum Augustini tum mysticorum etiam philosophorum discipulus deprehendi videtur. Haud autem infeliciter socraticum illum philosophandi imitatus est morem qui *ironia* a Græcis dicitur; neque ego teneri possum quin dialogi initium transcribam :

« Idiota. — Quid hic aspicis in foro?

Orator. — Video ibi numerari pecunias, in alio angulo ponderari merces, ex opposito mensurari oleum et alia.

Id. — Attende nunc per quem in quo et ex quo hæc fiunt, et dicito mihi.

Or. — Per discretionem.

Id. — Recte dicis. Per quid autem discretio? Nonne per unum numeratur? Nonne unum est unum semel, et duo est unum bis, et sic deinceps? Sicut unum est principium numeri, sic pondus minimum est principium ponderandi et mensura minima principium mensurandi. Per quid autem attingitur unitas?

Or. — Nescio. Scio tamen quod unitas non attingitur numero, quia numerus est post unum.

Id. — Optime ais. Sicut enim simplex prius est natura composito, ita compositum natura posterius, unde compositum non potest numerare simplex » (1). Quod quidem, ut de rebus omnibus, « nam omnium principium est per quod ex quo et in quo omne principiabile principiatur, et tamen per nullum principiatum attingibile, » ita de sapientia etiam valet : « Per

(1) *De vera sapientia*, dial. II, p. 327.

sapientiam et ex ipsa et in ipsa est omne internum sapere; ipsa autem, quia in altissimis habitat, nullo sapore est gustabilis.

Sapientiam igitur neque mente comprehendi neque exprimi verbis posse constat; humanæ tamen mentis principium simul et pabulum est. « Omnis intellectus appetit esse; suum esse est vivere; suum vivere est intelligere, suum intelligere est pasci sapientia et veritate. Quum sine nutrimento vivere non possumus appetimus nutrimentum. Et hinc puer quamdam habet lactis prægustationem in sua natura; quare, dum esurit, ad lac movetur. Ex quibus enim sumus ex illis nutrimur; sic intellectus noster habet vitam ab æterna sapientia et hujus habet aliqualem prægustationem. » — Non adeo igitur longinqua est illa ex qua sumus et nutrimur sapientia ut nullo eam modo attingere et amplecti possimus, verum ubique ita diffusa est ut facillime et in nobis et extra reperiri atque agnosci queat : « Æterna sapientia in omni gustabili gustatur; ipsa est delectatio in omni delectabili; ipsa est pulchritudo in omni pulchro, ipsa est appetitio in omni appetibili. »

Æternum igitur et divinum aliquid sapientia est; quæ quidem, dum altissima tenet, in terris tamen effulget, et increata creatis rebus infunditur. Quæcunque res gignuntur ejus fiunt participes, ejusque imaginem, pro sua quæque parte, in se velut in speculo expressam habent. At nihil creatum finitumve infinitum et increatum illud capere potest, neque etiam uno eodemque modo universæ rerum naturæ

sapientia inest, certos vero in rebus creandis instituit gradus, variasque naturas, hinc inertium illinc animantium, hominum denique et angelorum ita effinxit, ut variis modis ipsius participes fierent.

At hominum præsertim principium et finis sapientia jure dici potest; ad hanc igitur naturali quodam impetu homines feruntur, hanc ubique intentis animis ita quærunt, ut si quæ vestigia ejus agnoverint exsultent, neque tamen prius acquiescant quam ipsam invenerint inventamque amplexi fuerint. Tum demum animus familiarissima Dei societate fruitur, ac perennibus velut immersus undis inexplebilem sitim restinguit atque restinguendo etiam alit ut iterum restinguatur. « Dulce est omni spiritui ad vitæ principium quamvis inaccessibile continuo ascendere. Quod si quis amet aliquid hic gaudet in amabili infinitas et inexpressibiles amoris causas reperiri, et hæc est gaudiosissima comprehensio amantis quando incomprehensibilem esse amati amabilitatem comprehendit » (1).

Ad hanc vero summam felicitatem non scientia sed amore, non tam verum cognoscendo quam Deum diligendo pervenire licet. « Ad quærendam æternam sapientiam non sufficit scire quæ de ipsa leguntur, sed necesse est postquam intellectus reperit ubi est, eam affectu suam faciat, quasi qui invenit agrum in quo est thesaurus emit agrum illum ut in suo agro habeat thesaurum. Unde oportet omnia vendere et dare; non vult enim æterna sapientia haberi nisi ibi

(1) *De vera sapientia*, dial. II, p. 328.

ubi habens nihil de suo tenuit ut eam haberet. Id autem quod de nostro habemus vitia sunt; decet vero sapientiam non nisi bona, quapropter sapientia non habitat in corpore subdito peccatis. Hæc dicta sufficiunt ut scias sapientiam esse non in arte oratoria aut in magnis voluminibus sed in separatione ab istis sensibilibus et in conversione ad simplicissimam et infinitam formam, et eam recipere in templo purgato ab omni vitio, et fervido amore ei inhærere, quousque degustare eam queas et videre quam suavis est illa in qua est omnis suavitas. Qua degustata vilescent tibi omnia quæ nunc tibi magna videntur, et post mortem in ipsa sapientia amorosissimo amplexu æternaliter requiesces » (1).

Hi sunt igitur duo illi *De vera sapientia* libri quibus Petrarchæ philosophiæ medulla contineri videtur. Jam senior, parumque rebus humanis confisus, ut qui duros vitæ expertus esset labores, meliora certaque magis assequi conabatur. Neque enim musæ, neque poetica laurea, nec egregium nominis decus, nec populi laudes regumque amicitiæ ad sublimiorem illam animi ejus sitim explendam valuerant. Perierat Laura, perierant amicorum dilectissimi; irritum cesserat quidquid pro Italiæ pace ac libertate tentavisset; tunc demum, quum omnia simul deficerent, ad Deum, velut in pacatum quemdam et tutissimum portum confugit; tunc etiam hos *De vera sapientia* scripsit libros, non tam ut rite descriptum philosophiæ corpus effingeret, quam ut doceret alios quibus ipse artibus qui-

(1) *De vera sapientia*, dial. II, p. 330.

busve auxiliis post tot tantasque vitæ miserias veram sapientiam veramque felicitatem adeptus fuisset.

Quis vero, verborum barbariem situmque oblitus, virilis ingenii vim, animumque altissima petentem non miretur? Lutulentus (fateor enim), sæpius fluit sermo; obscura quædam et scholasticis hirsuta salebris deprehenduntur; at quis ubertatem, audacem ac poeticum dicendi morem, felicissimumque ingenii impetum negare audeat?

Platonis quidem discipulum agnoscimus. Quid enim aliud ea, quæ vera dicitur, sapientia, nisi id ipsum quod apud Platonem *idæa* vocatur? Idæa est eorum quæ natura gignuntur exemplar æternum : ex idæis quæcunque videmus fiunt, et ad eas omnino formantur; at ipsæ nec visu, nec tactu, nec ullo sensu comprehenduntur : cogitabilia sunt. Quæ quidem de increata sapientia apud Petrarcham omnino valent. Imo nonne platonica illa de animo, de pulchro et de amore Petrarchæ satis placuisse videntur? Si quis enim apud eum legat humanam mentem æternam sapientiam appetere quasi pabulum, atque hinc corporis pondere ad deteriora terrenaque trahi, illinc contra naturali quodam impetu ad superiora et divina tendere, nonne ei in memoriam reducetur Platonis dialogus ille, in quo animus sub aurigæ specie effingitur duos simul regentis equos, quorum alter ferox et cæca cupidine fervens ad terram currum detrahit, dum alter forma simul et animis egregius, ad cœlum sublimi impetu evehitur, stansque in convexo poli limite æternas veri, pulchrique et boni idæas depascitur? Corporeæ quidem venustatis contemplatio Pla-

toni gradus quidam atque aditus ad cœlestia æternaque videtur; inde, quum formosam quamdam corporis effigiem conspexerit animus, expressam in hac summam æternamque pulchritudinem agnoscit, adeoque conspectu ejus commovetur ut ardere ac furere incipiat, et, dum crebris exagitatur stimulis, crescunt, ut Plato ait, alæ quibus ad cœlum evehi queat. Eadem vero Petrarchæ placent : quodcunque enim pulchrum est fit summæ pulchritudinis, æternæ scilicet sapientiæ, particeps : hæc in illo expressa agnoscitur, animumque allicit et ad cœlestia revocat.

Sic igitur Petrarchæ carmina philosophicis ejus libris consentire videntur : Lauræ amor sublimioris amoris initium ac quasi procemium est; corporis forma, egregiumque ingenii decus meliorem divinioremque significant atque commendant venustatem. Itaque egregiæ mulieris amor a turpibus affectibus ad altiora hominum revocat mentes; via quædam est qua ad Deum tenditur. Non vero in media via stare sed ad terminum pervenire viatoris est; errat igitur peccatque qui aliquid, quantumcunque sit, summi Dei loco veneratur et amat.

Verum enim vero ita Platoni poetisque qui tempore illo florebant consentire Petrarcha videtur ut omnia ad christianam confirmandam fidem trahat, neque dum Platonem sequitur, Christi discipulus esse desiit. Hæc enim æterna et divina sapientia, quæ interdum idæa mera, platonico de more, videtur, sæpius, ut e multis locis constat, Christus esse dicitur. « Vera Dei sapientia, inquit, Christus est; ut vere philosophemur ille imprimis amandus nobis atque colen-

dus est. Ante omnia christiani simus : ad Evangelium velut ad summam veri arcem referenda sunt omnia » (1). Alias etiam : « Verus philosophus veræ sapientiæ est amator ; vera autem Dei Patris sapientia Christus est » (2). Imo vero eadem fere omnia iisdemque plerumque verbis de vera sapientia Petrarcha refert quæ Sanctus Johannes Verbo tribuere solet. Vera nempe sapientia, increata atque omnino divina est : summi Dei splendor et imago, lux æterna, vitæ fons, et omnium quæ videmus creatrix ; ejus fit animus noster particeps, ea velut pabulo nutrimur, eademque duce familiarissima quadam Dei societate fruimur. Quæ omnia, iisdemque fere modis de Verbo sacri scriptores docent (3).

Christianis igitur, imo mysticis philosophis noster annumerandus est, ut qui hominum naturale ingenium, nisi divinus accederet afflatus voxque cœlitus cœlestia locuta, vero cognoscendo impar æstimaverit. Philosophi quidem qui homines ad verum cognoscendum bonumque discendum faciendumve omnino non valentes arbitrantur, sæpius in hoc periculo versantur ut posita natura virtutum vitiorumque discrimina parvi faciant, voluntatisque aciem hebescere sinant. Inde fit ut homines quid inter falsa veraque distet nescii, malos animi affectus tanquam diviniores afflatus sequantur, ac modo otio et torpore sepulti

(1) *Famil.* lib. VI, ep. II, p. 657.
(2) *Epist. sine tit. liber*, ep. XVIII, p. 734.
(3) Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος... πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο... ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων (Johann. I, 1-4). — Et Christus de se ipso ait : Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς (Johann. VI, 35).

jaceant, quo facilius adventantem excipiant Deum, modo corpora adeo non curent ut illa turpissimis inquinari vitiis, dum animus in altissimis versatur, ferant. Inde tum inertia ac morti simillima quies, tum licentia morum per libidines, omnibus remotis frenis, sese efferentium. Petrarcha vero, christianæ disciplinæ magis erat addictus, æquiorem præterea philosophandi instituerat morem majoremque voluntati locum tribuebat, quam ut in tantos errores dilabi posset. Nullo enim alio modo nisi voluntate ac nisu divinam illam sapientiam adipisci homines posse contendit; quippe adeo sapientia a vitiorum contactu abhorret ut nullas, nisi innocuas, hominum mentes inire velit; pœnitendo igitur vivendique morem corrigendo sapientiam adipiscemur, quam, adepti, iisdem artibus retinebimus. Verum summa cura studioque inquirere, Deum orare, eumque diligere, ea demum humana sapientia est, quæ quidem una est via ad divinam veramque sapientiam dono accipiendam. Suus igitur tum Deo tum homini tribuitur locus : Deus se ipsum præbet orantibus, et a quærentibus se inveniri sinit; si quis precibus, studioque et opera sapientiam petit, illi gratuito sapientia dabitur; sin autem sibi ipsi deest, Deus quoque ei deerit.

Cæterum, nihil est quod miremur mysticum imprimis philosophum Petrarcham evasisse. His enim temporibus nihil in scholis strepebat nisi inanes crebrisque enthymematibus et syllogismis hirsutæ disputationes, quorum barbariem noster, ut cui assidua musarum familiaritate expolitum esset ingenium, tolerare non potuit. Veterum præterea philosophiam

odoratus, inter tot tamque diversos magistros nesciebat quem potissimum sequeretur; tanta igitur opinionum diversitas, tot verborum fallaciæ, tot sectarum se invicem pugnantium ruinæ, ut parum propriis hominis ad verum cognoscendum viribus fideret suadebant; ideoque, quum ad majora natus esset quam ut desperatione et inertia torpesceret, cœlo descendere sapientiam, quoniam e terris crescere nequiret, arbitratus est, christianæque ac mysticæ philosophiæ addictus, post tot vitæ labores in portu demum acquievit.

# EPILOGUS

Itaque, ut paucis quæ supra dicta sunt concludamus, Petrarcha liberiorem et magis ad vitam communem aptum philosophandi morem instituit : veterum a teneris alumnus, neque infeliciter ipse eorum vestigia secutus, novus, ut ita dicam, Socrates factus est, et philosophiam a physicorum somniis dialecticorumque argutiis ad ipsius hominis notitiam morumque regendorum artes revocare est molitus. Platonem præterea, quantum in eo, ut in homine græcæ linguæ admodum nescio, erat, novisse ac valde probasse videtur ; quid autem platonicum cum christianis miscuerit, ut e plerisque carminibus, ita præsertim e duobus *De vera sapientia* libris, apparet.

Id Petrarchæ demum contigit scholasticæ barbariæ tenebras, pro virili quidem parte, depulisse, novamque philosophandi tentavisse viam, et Christi denique dogma tum a plerisque philosophis ac litteratis viris despectum neglectumque summa ope atque studio defendisse. In hoc quidem laudandus est quod, Augustini discipulus simul atque æmulus factus, christianam quamdam philosophiam instituendam

esse censuerit; quod, si felicius alii effecerint, nullum tamen felicius inchoasse fatendum est. Si quæ vero apud eum modum excedere, scholarumque redolere barbariem, minusve cum christianis congruere dogmatibus, aut magis monachis quam viris communis vitæ rebus implicatis accommodari videntur, tempus, ut reor, magis quam vir incusandum. Ille enim utriusque ætatis in limite positus, præteriti quidem temporis, ut ita dicam, obumbratur caligine, sed jam ventura tempora et meliorem rerum ordinem præsagire videtur.

*Vidi ac perlegi,*
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. X Kal. Jul., ann. MDCCCLXIII,
Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,
J. Vict. LE CLERC.

Typis mandetur:
*Parisiensis Academiæ Rector,*
A. MOURIER.

# INDEX

—

Pag.

PROOEMIUM. . . . . 1

CAPUT PRIMUM.

DE PETRARCHA, QUÆ AD POETICAM, ERUDITIONEM ET REMPUBLICAM ATTINENT. . . . . 3

CAPUT SECUNDUM.

PETRARCHÆ OPERA PHILOSOPHICA. . . . . 14
I. — De contemptu mundi. . . . . 16
II. — De remediis utriusque fortunæ. . . . . 22
III, IV. — De vita solitaria. — De otio religiosorum. . . . . 29
V. — De sui ipsius et multorum ignorantia. . . . . 32
VI. — De vera sapientia. . . . . 34
VII. — Epistolæ. . . . . 35

CAPUT TERTIUM.

QUID IN PETRARCHÆ CARMINIBUS AD PHILOSOPHIAM ATTINEAT. . . . 37

CAPUT QUARTUM.

DE PECULIARI PETRARCHÆ PHILOSOPHIA. . . . . 43

EPILOGUS. . . . . 69

Paris. — Typ. de Ch. Meyrueis et Cᵉ, rue des Grès, 11.

Ital 7140.22
De Petrarcha philosopho.
Widener Library 004513209
3 2044 082 284 837